IN EPISTOLAM DIVI IACOBI APOSTOLI COMMENTARIVS

scriptus

à

NICOLAO HEMMINGIO.

Lectori:

Habes, lector, in hoc commentario præter multos alios locos, explicatas quæstiones de Vsuris & bonis Ecclesiasticis.

Huc

Est & additus libellus de Regeneratione ante quadriennium primùm editus, eodem autore.

Cum gratia & Priuilegio Regiæ Maiestatis, ad sexennium.

HAFNIAE,

Anno M. D. LXIII.

ORNATISSIMO VIRO
NOBILITATE AC SAPIENTIA
PRAESTANTI FRANCISCO BROCKENHVS, Domino de Egeskou ac Senatori regni Daniæ prudentissimo, Domino ac patrono suo, NICOLAVS HEMMINGIVS.
S. D.

PTolemeus Philadelphus Ægyptiorum Rex hospitem conuiuam interrogat, quænam sit maxima hominis gloria: cui hospes respondens, Deum, inquit, honorare, idque non tam donis & uictimis, quàm animi puritate & pio proposito. Hoc responsum non solùm rex sapientissimus approbat, uerumetiam Philosophi, qui frequentes illi adesse solebant, magna constantia & asseueratione prædicant. Omnes enim homines uel natura ipsa magistra, intelligunt & Deum esse, & summam hominis felicitatem in puro Dei cultu esse positam. Quamobrem sapientissimi Philosophi omnia sua studia eò conuerterunt, ut rectum colendi Deum modum suis sectatoribus traderent. Nam ut summam hominis gloriam in eo posuerunt, ita maximam sapientiam definiuerunt esse, rectam

colendi Deum scientiam. Hoc pulcerrimè in oracluo quodam, quod recitatur apud Iustinum Martyrem, indicatur:

Μοῦνοι χαλδαίοι σοφίην λάχομ ἠδ' ἀρ' ἑβραῖοι
Αὐτογένη τορ ἄνακτα σεβαζόμενοι θεὸμ ἀγνῶς

hoc est (ut rudius & apertius reddamus)
Chaldęis solis sapientia nota & Hebręis,
Soli nanq; Deũ regem purè uenerantur.

Est profectò procul omni dubio fatendũ, summã gloriam, summã sapientiam ac summã felicitatem hominis esse Deum purè colere. Quare in hac re nec hospes Ptolemei, nec Philosophi hallucinati sunt. Verùm postquã Philosophi hanc suam sapientiam ad usum & praxin transferre uolunt, quantæ quæso sunt tenebræ: quanta ignorantia: Non solũ ignoratur, in qua re sit puritas mentis collocata, uerumetiam ab ipso Deo turpiter aberratur ad creaturas & ad creaturarum idola.

Cicero quidem uerè pronunciat Deũ colendum esse, non superstitione sed pietate: sed quô ruit miser: pro uero Deo idola colit Romana: antiquissimam religionẽ quæ sola Deũ autorem habet, barbaram superstitionem sacrilegè nominat: ueram religionem splendore imperij, grauitate nominis Romani, maiorum institutis & fortunæ successibus metitur. Hæc

sunt

sunt enim eius uerba: Sua cuiq; ciuitati religio Leli est: nostra nobis. Stantibus Hierosolymis pacatisq; Iudæis, tamen istorũ religio sacrorũ à splendore huius imperij, grauitate nominis nostri, maiorũ institutis abhorrebat: nunc uerò hoc magis, quòd illa gens quid de imperio nostro sentiret, ostendit armis: quàm chara Dijs immortalibus esset docuit, quòd est uicta, quòd elocata, quòd seruata.

Socrates apud Xenophontem rectissimè etiam dicit, Deũ eo cultu uelle coli, quem ipse instituit, sed mox ipse tanquam oblitus sui, definit cultũ Dei esse, quem ciuitas recipit & approbat. In quo fœdissimo errore multi sunt hodie, qui putant Regum & Principum placita, normas esse religionis.

Philosophi saniores decalogũ aliquo modo intellexerunt, & in eius obedientia cultum diuinũ positum esse tradiderunt: quemadmodũ Syracusanus Philemõ, qui floruit tempore Alexandri Magni, testatur. Ita enim ait: Si quis hostiam offerens, ô Pamphile, taurorum multitudinem, aut ceruorum, aut per Iouem, alia eius generis, aut si fecerit ornamenta, ut aureas chlamydes siue purpureas, aut si fabricauerit ex ebore, siue Smaragdo imagũculas, existimat se Deũ sibi reddere beneuolũ, errat

ille omnino & leuem mentem habet. Oportet enim uirum bonum esse, ut qui uirgines non corrumpat, non mœchetur, non furetur, non occidat, nō aliena uideat & concupiscat, siue uxorē, siue domū, siue possessionē, siue seruū, siue ancillā, aut quicq̄ omnino, & addit

μηδὲ βελόνης ἓν ἅμμα ἐπιθυμήσεις πάμφιλε.

hoc est, neq; unius acus funiculum concupiueris Pamphile. Et paulò post:

θεῷ δὲ θῦε διὰ τέλους δίκαιος ὤν.

hoc est, Deo sacrifica perennem iustitiam.

Habemus quousq; ascendere potuerint summi Philosophi, habuerunt aliquam legis noticiam, cui satisfieri putabant qualicunq; externa obedientia: etsi haud rarò arcano conscientiæ iudicio damnati, suam quodammodo agnouerunt impuritatem & miseriā.

Quid quæso magnis istis Philosophis defuit? id profectò quod ipsi potissimum prædicant & in quo uno cultum numinis situm esse disputant, hoc est, puritas mētis: quæ sanè non est externa simulationis larua, quēadmodum Philosophus ille putabat, cui urinam uerecundius reddenti Aristoteles obijcit:

χεῖρες μὲν ἁγναὶ, φρὴν δὲ ἔχει μιάσματα.

hoc est, manus quidem puræ sunt, at mens contami-

contaminata est: sed est lõgè alia res quàm ut Philosophi eam sua perspicacia & acumine deprehendere potuerint. Nam illi nec originem impuritatis, qua contaminatum est totũ genus humanum perspexerunt, nec remedium aduersus ignotum morbum tenuerunt, nec ueræ puritatis scaturiginẽ quęsiuerunt, imò quo magis purgari se sua externa puritatis lacuna arbitrabantur, eò impuriores sunt effecti, atq; omnino illis accidit quod porcis, qui cùm cœno se abluere uolunt, immundiores multo prodeunt, siquidem qui inter illos uidebantur optimi, hostes Dei maximi fuere. Quando enim Deus illorum uotis non respondit, statim irascebantur Deo, tanquam ingrato, qua sanè animi macula nullum cœnum turpius, nullum pestilentius. Huius rei exemplum uidere est in Agamemnone Græcorum Rege, qui Ioui hecatombas, quas obtulerat, exprobrat, atq; ei ingratitudinem tragica uoce obiicit, propterea quòd ipsius petitioni non satisfecerit. Hecuba dicit, inuoco ignauos Deos. Cæterum Ecclesia Dei sola magisterio Propherarum & Apostolorum edocta, nouit & unde impuritas illa in genus humanum irrepserit, & quo remedio abluí possit, & quæ sit uera

ſcaturigo, unde aqua puriſsima purgandis mentibus hauritur, qua aqua mens purgatur, ut in ea ſit puritas illa qua Deus ab homine uult coli: qui ſane cultus, ut rectè reſponſum eſt Ptolemeo, ſumma hominis gloria, maximũ decus, adeoq; felicitas ipſa, ad quam primùm genus humanũ conditũ eſt. Nam ut ſine hac puritate nemo eius felicitatis particeps fieri poteſt, quam Deus colentibus ſe ut coronam certaminis proponit: ita ea parta tanta ſit hominis gloria, ut filius Dei cenſeatur, cœleſtiũq; bonorum ſcribatur hæres.

Eccleſia nouit hominem aſtu & fraude Satanæ deceptum, ruiſſe contra Deũ & amiſiſſe imaginem Dei, in cuius locũ ſucceſsit imago Satanæ fœdiſsima & impuriſsima, qua humanum genus adeò conſpurcatum eſt & deformatum, ut nihil ſit eo impurius, nihil deformius. Nam qui inter homines ſanctiſsimi uideri uolunt (loquor autem de nõ renatis) ſimiles ſunt pomis Indicis, quæ ferunt foris quidem pulcerrima eſſe, ſed intus latere uenenum mortiferum.

Eccleſia nouit contra Satanæ uenenum, adeoq; aduerſus totum imperium eius, promiſſum fuiſſe ſemen mulieris contriturum aliquando caput ſerpentis, ut ſerpens ille, hoc

eſt,

est, Diabolus non amplius suo veneno noce-
ret iis, qui in fide seminis reperirentur.

Ecclesia novit filium virginis Mariæ IESVM, semen illud promissum esse, qui iuxta promissionem protoplastis nostris datam & sæpe deinde repetitam, vicit Satanam.

Ecclesia novit sanguinem huius IESV filij Dei & virginis, efficax esse antidoton adversus serpentis venenū, eoq; ablui & abstergi impuritatem, quam ab Adam propagati contraximus.

Ecclesia novit hoc remedium & salutare antidoton omnibus per prædicationē Evangelij gratis offerri, & oblatum accipi fide in hunc medicum Iesum Christum, iuxta illud: Fide purificantur corda. Itē: Sanguis Christi purgabit conscientiam nostram à mortuis operibus, ut colamus Deum viventem.

Ecclesia novit quòd Deus ab iis solis, qui hoc pacto purgati sunt & emundati sanguine Christi, coli velit, idq; non gentili superstitione, sed in Spiritu & veritate, quemadmodum ipse Dominus testatur, cùm inquit: Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate, hoc est, homines quorū corda sunt purgata in sanguine Christi per fidem, verum cultum & spiritualem Deo præstabunt. Nam

Spiritus Sanctus in eis excitabit pios motus, fidem, dilectionẽ, timorem, patientiã, precandi studiũ, gratiarũ actionem & alias uirtutes cum lege & uoluntate Dei congruentes.

Quanquam autem obedientia nostra in hac uita, nequaquam normæ legis diuinæ respondet: tamen placet quia in filio dilecti sumus, & quia obedientia ipsa à purificato corde proficiscitur. Fatendum quidem est plurimas maculas reliquas manere in nobis, donec circũferimus hoc mortale corpus: tamen hæc nostra firmissima consolatio esse debet, quòd sciamus eas lamina aurea in arca fœderis tegi, hoc est, per Christi expiationẽ ita purgari, ut amplius nobis nõ imputẽtur, modò nõ secundũ carnẽ uixerimus, sed secundũ spiritũ.

Cæterùm hîc duo mala pῆs in primis sunt cauenda: Pharisaicus error & Epicurea securitas. Hæc duo mala omnibus temporibus plurimũ damni Ecclesiæ Dei attulerunt. Sunt enim ueluti scopuli quidã, ad quos impingentes naufragium circa fidem faciunt.

PHARISAICVS ERROR partim ex opinione iustitiæ Philosophicæ, partim à legis Dei ignoratione oritur. Philosophorum opinio fuit, quam suprà attigi, quòd iustitia sit externa officia mediocriter facere, & alicῦ

purita-

puritatē externā ſimulare. Deinde nō intelligebant legē Dei requirere ſpiritualē obedientiā, ſed tantū in externos ritus intuebantur, in quibus collocārunt iuſtitiam, q̄ iuſtitiam opponebant iudicio Dei & putabant ſe ea iuſtos eſſe coram Deo, ut Phariſæus ille Euāgelicus.

Hoc errore decepti Monachi ſuis traditionibus partim ſtultis, partim impijs, partim hiſtrionicis, uim iuſtificandi & merēdi uitam æternam tribuerūt: quo ſcelere nihil grauius cogitari poteſt. Quid enim quæſo aduerſus Deū magis contumelioſum eſſe potuit? quid magis ſacrilegū? quid magis impiū aduerſus ſanguinē Chriſti, in quo ſolo uirtus eſt expiandi peccata? quid denicq̄ magis ſtultū, quàm tribuere meritūm ſalutis & uitæ æternæ obedientiæ erga regulam, quam homo hypocrita ſuis ſectatoribus præſcripſit?

Hunc Phariſaicū errorē hodie defendunt Papiſtæ, ac non ſecus quàm pro aris & focis pro eo defendendo ſunt ſolliciti, nō quòd ipſi non uideant errorē prophanū eſſe damnatum uerbo Dei: uerùm ne eo ſubuerſo, de fundamento Papiſtici regni actum ſit.

Hunc igitur errorē omnes quibus ſalus curæ eſt, fugiant tanq̄ peſtem, atq̄ eius propugnatores anathemata à Chriſto ſciant eſſe,

iuxta

iuxta hoc Pauli dictum: Qui aliud Euangelium prædicauerit, anathema sit, etiamsi fuerit angelus de cœlo. Cùm autem Spiritus Sanctus hîc pronunciat anathemata, eos qui prædicant aliud Euangelium, non est cogitandum leue & uulgare maledictū esse. Nam primùm significat Deum eiecisse de Ecclesia corruptores Euangelij. Deinde mandat eos fugiendos esse, tanquam diras pestes, quas Deus execratur. Tum indicat pollui bonos eorum societate & consuetudine. Præterea minatur graues pœnas ijs, qui cum illis amicitia coniuncti sunt.

De hoc maledicti genere loquitur etiam Psalmus: Induit maledictionē sicut uestimentum, & intrauit sicut aqua in interiora eius, Et sicut oleū in ossa eius. Nequaquam igitur existimetur parui momenti esse hoc maledictum: Si quis aliud Euangelium docuerit, anathema sit.

Fugiant itaq; pij, tanquam rē à Deo maledictam, errorem istum Pharisaicum, qui fingit hominem coram Deo iustificari operibus, siue legis, siue humanarum traditionum. Nam immota stat conclusio Pauli: Si iustitia est ex lege, Christus frustra mortuus est. Item: Non iustificatur homo ex operibus legis, sed per fidem

fidem Iesu Christi. Cùm igitur hoc Euangelium Pauli est, manifesta anathemata sunt Pharisæi omnium temporum, qui operibus iustitiam, qua consistimus coram Dei tribunali, tribuunt.

EPICVREA SECVRITAS nascitur ex doctrina gratuitæ iustificationis prauè intellecta. Nam cùm homines carnales audiunt gratuitam esse iustificationem, salutemq; contingere non ex operibus sed ex fide, fiunt remissiores et abijciunt beneoperandi studium. Hæc Epicurea securitas non est minus perniciosa, quàm error Pharisaicus, quæ locum nō habet in ijs qui verè credunt Euangelio, sed tantum in mortuis Ecclesiæ membris, hoc est, in ijs, qui uel palam flagitiosi sunt, uel hypocritæ.

Hanc securitatem non solum uox Euangelij damnat, uerumetiam omnes Propheticæ & Apostolicæ conciones execrantur, simul enim testantur nos renasci, ut sancti simus corpore & animo. Paulus cùm Pharisaicum errorem, tum Epicuream securitatem impugnans, in hunc modum scribit Ephesiis: Gratia saluati estis per fidem, non ex uobis, Dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur. Dei enim factura sumus, creati in Christo

Iesu

Iesu ad bona opera, quæ præparauit Deus, ut in eis ambulemus. Hic Paulus docet apertè gratuitam esse salutem, eamq; cōtingere credentibus sine operibus. Deinde addit finem regenerationis in Christo. Nam dicit nos creatos in Christo Iesu, ut faciamus opera quæ Deus nobis mandauit, quod cùm fit non tantum sumus imputatione puri: uerumetiam incoatione sancti.

Sed quid quæso hic fit? salutem gratuitam esse libenter audimus, at cùm ad gratitudinem inuitamur, pigri sumus. Videmus scopum, sed iter intermedium conficere nolumus, atq; omnino nobis iuxta prouerbium contingit:

σὺ καφίλ' ὀρνίθεσσι, φιτέναι δ' οὐκ ἐθέλουσι.

Hoc est, aues ficus amant, sed plantare recusant. Aduersus hanc Epicuream securitatem acerrimè cùm Prophetæ, tum Apostoli pugnauerunt. Inter quos diuus Iacobus non solum uita, uerumetiam scripto ualidissimè eandem oppugnat, spolians eam omni gloria, statuensq; nudam coram tribuuali Dei.

De hisce rebus clarissime uir, ac patrone colende, disseruimus cùm proximè apud te pranderem: errorem Pharisaicum cordatè improbasti, securitatē Epicuream piè damnasti,

nasti,& cùm quidam ex conuiuis diceret,magis frigere bene operandi studium,postquam ministri Euangelij operum merita oppugnare cœperunt: sapienter dixisti nulla merita nostrorum operum esse, si æstimentur è sua dignitate, sed benefaciendi studium ex eo pendere, quòd filij Dei, patri obedientiam debeant & quòd fides non possit esse sine naturalibus proprietatibus. Hac occasione incidimus in mentionem Epistolę Iacobi,quam cùm dicerem me ante paucos annos in hac schola enarrasse, petijsti ut meam commentationem pluribus communicarem, quod & me facturum promisi.

Nunc itaq; uotis tuis satisfacturus, in publicum ædo commentariolum in sanctissimam Iacobi Epistolam, quẽ ut æquí bonicq; consulas, etiam atq; etiam oro. Spero quòd gratior hic noster labor sit futurus multis, quòd sub tuo nomine in lucem prodeat.

In quinto capite ubi Iacobus diuites obiurgat,quæstiones de diuitijs, contractibus, usura & bonis Ecclesiasticis prolixius quàm institueram tracto, idq; hac occasione: Clarissimus uir D. Iohannes Frijs, Cancellarius Regis, & Academiæ nostræ conseruator primarius, petijt à me ut com-

commonefactionem de usura scriberem, idq; in hunc finem, ut uera usura & damnata uerbo Dei discerni possit ab alijs contractibus, qui prætextu usuræ à nonnullis iniustè damnantur.

Hanc cõmonefactionem, sicut me & omnia mea, iudicio piorum & doctorũ subijcio. Spero autem me ita temperare omnia, ut nec à uerbo Dei discedam, nec uim faciam legibus politicis, sine quibus humana societas conseruari nequit. Bene uale cum uxore castissima & liberis.

Hafniæ 21. Martij, anno Domini

1 5 6 3.

ARGVMENTVM IN EPISTOLAM IACOBI APOSTOLI.

QVatuor in initio enarrationis cuiusq; sacri scripti diligenter spectanda & examinanda iudico, videlicet, quis scripti sit autor: Quæ scribendi occasio: Quis scripti status: & quæ sit tractationis via seu methodus, hoc est, ordo. Hæc enim quatuor dextrè ac rectè explicata, in cuiuslibet sacri scripti adytum tanquam luce quadam prætensa lectorem introducunt. De his ergo ordine dicam, quò explicatius teneatur huius Epistolæ argumentum.

Autor huius Epistolæ fuit Iacobus Apostolus, qui dicitur frater Domini. Hic vnà cum reliquis Apostolis non solum trienniũ voce Domini & spiritu est institutus, verumetiam post resurrectionem Christi accepit cum alijs Apostolis Spiritum sanctum & mandatum prædicandi Euangelium omnibus gentibus,

& die pentecostes uisibili Sacramento iterũ inauguratus est Apostolatui. Hinc patet quid de hac Epistola sit iudicandũ: nimirum quòd illi non minus sit credendũ, quàm uoci Dei. Est enim eius autor Apostolus Iesu Christi, qui ad extremũ sanguine suo Euangelium Christi obsignauit. Nam cum Christum doceret uictorem esse mortis, & sedere ad dextram Dei in cœlis, à Iudæis lapidibus petitus est, ac tandem genibus innixus & precatus pro persecutorib⁹ suis, fullonis fuste est interemtus, idq; paulo ante oppugnationem Vespasiani. Siue ergo huius uiri Dei ministeriũ, siue uitã, siue confessionẽ, siue exitũ spectes, testimoniũ de infallibili ueritate doctrinæ ipsius habes.

Occasio scribendi Iacobo duplex uidetur fuisse, una persecutio Ecclesiæ, altera hypocrisis in multis. Quanta fuerit Ecclesiæ persecutio tempore Iacobi, historia Ecclesiastica prolixè docet. Nam non solum Iudæi dispersionis per orbem malo affligebantur, uerumetiam uarijs

tentatio-

tentationibus Hęreticorum & Diabolorum ferè obruebantur. Vt enim intus à falsis fratribus molestabantur, ita foris à Tyrannis ad defectionem sollicitabãtur, nunc minis, nunc pollicitationibus. Hypocrisis etiam non parũ offendebat, multi enim Christum profitebantur, quem agnoscentes saluatorem, eius quidem beneficia deprędicabant, sed sine uiua fide & pœnitentia uiuebant. His procellis tum iactabatur Ecclesia, his malis affligebatur sponsa Christi, quod cùm uideret Iacobus sumsit inde scribendi occasionẽ, ut istis malis aliquo modo mederetur.

Ex occasione, scopus Iacobi in hac Epistola & consilium facile intelligi potest. Eò enim tota eius oratio pertinet, ut nõ solum Christianos, seu uerè pios aduersus crucis scandalũ muniat, quos hortatur ad patientiã, ne tentationibus fracti confessionem abijciant, sed potius finem & euentũ crucis intueantur: uerumetiã ut hypocritas à suo errore reuocet, quos ut docet quam uana sit gloriatio de fi-

de, sine uiua fiducia & germanis fidei fructibus, ita hortatur ad mores Christiana professione dignos, & dehortatur à contrarijs vitijs, nisi malint suæ contumaciæ iustas pœnas luere.

Via tractationis seu methodus est liberior, vt in exhortationibus & obiurgationibus esse solet. Hanc viam in explicatione singulorum capitum diligenter indicabo.

Cæterum quàm necessaria sit hodie hæc Epistola in Ecclesijs nostris, facile intelliget is, qui plerosq; qui Christiani dici volunt, de fide inani & mortua gloriari animaduertit: quam stulticiam noster Apostolus retegit & iustissimè damnat. Deinde qui quotidie intuetur, quàm varijs sceleribus (magis magisq; disciplina collabente) Christianus populus polluatur: procul dubio fatebitur opus esse aliquo Iacobo, qui ista grassantia scelera liberiore lingua taxet & damnet. Præter hæc omnia, ipse Epistolæ autor Speculũ pietatis dici meretur: siue enim officium

officium spectes, siue vitam contemperis, siue in confessione constantiam cogites, siue vitæ exitum perpendas, habes quod & admireris maximè, & quod imitari cupias, modò Christianus verè censeri velis. Hæc de argumento & Epistolæ utilitate & usu sint dicta. Iam cur CATHOLICA dicatur dicendum restat. Epistolæ Apostolorum Petri duæ, Iohannis prima, Iudæ vna, & hæc Iacobi Catholicæ dicuntur, propterea quod non certis ciuitatibus aut personis, (vt Pauli omnes, Iohannis secũda & tertia) sint destinatæ & scriptæ, sed omnibus promiscuè pijs, varijs in locis per orbem dispersis datæ sunt. Catholicũ enim hoc loco priuato opponitur. Quidam has Epistolas Canonicas ad differentiam Epistolarum Pauli vocant manifesto errore. Nam nõ minus Epistolæ Pauli sunt canonicæ quàm Iacobi, aut Petri, aut Iohannis. Quicquid enim legimus in Apostolorum Epistolis, tanquam canonem veritatis amplecti decet.

SVMMA CAPITIS PRIMI.

Ne Christiani sub tentationum mole succumbãt, hortatur, idq; proposito præmio superatæ tẽtationis. Et ne quis Deo imputet tentationis originem, docet & unde proueniat tentatio, & quòd à Deo, qui nos suo uerbo regenuit, sint omnia bona.

ORDO ET PARTES CAPITIS PRIMI.

Prima pars Capitis huius est Epigrapha. Secunda, propositio suasoria, ne uidelicet Christiani tentationibus frangantur. Tertia, quia fieri potest interdũ, ut aliquis errore seductus succumbat tẽtationi, monet petendã esse sapientiam à Deo ex fide, sine hæsitatione. Quarta, ne qui fracti paupertate & contemtu, tentationibus succũbant, hortatur tũ diuites, tũ pauperes ad ueram humilitatẽ. Quintò, tentationis superatæ prœmium proponitur, & mõstratur eius origo, ut magis ipsius insidiæ caueãtur. Sextò, admonitio

nitio est à contrarijs, quòd Deus non sit autor tentationis, sed omnis boni potiꝰ, proposito regenerationis beneficio, quod tanquã bonitatis Dei testimonio confirmat. Atq; ita unus scopus est huius capitis, ne uidelicet sinamus nos tentationũ mole obrui. Huic scopo reliqua deseruiunt.

EXEGESIS CAPITIS PRIMI CVM OBSERVATIONE doctrinarum.

Iacobus Dei & Domini nostri Iesu Christi seruus duodecim tribubus dispersis: SALVTEM.

HÆc Epigrapha tria continet. Primũ enim autoris huius Epistolæ nomẽ, cum eiusdem descriptione & officio habet. Deinde eorum mentionẽ facit, quibus scribit Apostolus. Postremò imprecationem salutis addit.

Autor Epistolæ est Iacobus, qui professione quidẽ seruus Dei est, officio uerò seruus Iesu Christi, hoc est, Apostolus. Hic scripsit duodecim tribubus Israel

latè quidem, vt & Petrus meminit, per orbem dispersis. Fit autem in Historijs mentio multiplicis dispersionis Iudæorum. Primum enim decem tribus per regnum Babylonicũ sunt dispersæ. Deinde duæ reliquæ in captiuitatem Babylonicã abductæ sunt, nec redijt soluta captiuitate, nisi minima pars tribus Iuda & Beniamin. His ergo Iudæis ita sparsim habitantibus & conuersis ad fidem Christi scribit Iacobus, ac ijs in initio precatur salutem, vel ut græcè loquitur χαίρειν, id est, gaudere eos iubet, significans tutissimam ad uerum gaudium uiam, esse fidem in Christum. Dispersio Iudæorum significat longè maximum discrimen esse inter regnum Christi & regna mundi. Regnum Christi non clauditur certis terminis in hoc mundo, sed in conscientia bona, iustitia & gaudio spiritus, ut Paulus ait, situm est. In hoc regno sunt omnes, quotquot in Christum verè credunt, siue prope, siue procul sunt. Deinde monet hęc dispersio, quòd Ecclesia Christi in

sti in hoc mundo, non sit alligata (vt Papa putat) certo loco & successioni, sed verbo potius Dei, Sacramentis, & obedientiæ erga Euangelium.

Omne gaudium existimate fratres mei, cum in varias tentationes incideritis.

Propositio primæ exhortationis, ne uidelicet Iudæi credentes, tentationibus succumbant. Hæc exhortatio merito primum locum occupat apud eos, qui expulsi sedibus, uarijs uicinorum obruebantur iniurijs. Quod autem non simpliciter dicat: Nolite frangi tentationibus, vel tale aliquid, sed existimate OMNE, id est, plenum gaudium esse, cùm in varias tentationes incideritis: discernit inter effectus tentationis piorum & impiorum. Vt enim euentus tentationis impiorum est tristitia & desperatio: ita tentationis piorum euentus est gaudium & victoria tentationis. Cum VARIAS dicit, significat non uno genere tentationum explorari

credentes, sed multis & uarijs. Quare excubias agere Christianos decet, ne circũuenti tentationum uarietate, in manus incidant aduersarij.

Scientes quod probatio fidei uestræ, patientiam operatur.

Ratio propositionis est, ab effectibus tentationum piorum. Primum enim tentatio est ueluti lydius lapis, ad quem fides Christianorũ exploratur. Exemplũ habemus in Abrahã. Quorum enim fides uera non est, in tempore tentationis discedunt, iuxta parabolam Euangelicã, Mat. 15. Contrà, quorum fides firmior est, reddũtur confirmatiores per tentationes. Spiritu enim Dei sustentantur. Porrò fides probatior facta, patientiã operatur, hoc est, efficit ut æquo animo crucem feramus, propter spem liberationis. Vnde Paulus, probatio spem operatur, spes autem non pudefacit, id est, non frustratur nos, ut aliquãdo pudefiamus in conspectu filij Dei.

Pati-

Patientia uero opus perfectum habeat.

Hæc hortatio est, ad perseuerantiam in tolerando. Vult enim Apostolus, ut pius perduret constans in patientia, usq; ad finem. Beatus enim qui perseuerauerit usq; ad finẽ. Perfectionis enim uocabulum hoc loco constantiam & perseuerantiam in patientia declarat. Veræ ergo patientiæ effectus, est perseuerantia constans.

Vt sitis perfecti & integri, in nullo deficientes.

Finis & effectus crucis piorum significatur, q est nostri cõsummatio in Christo. Toto enim uitæ tẽpore ad hanc consummatam perfectionem tendere oportet, quæ cruce, ueluti instrumento Dei, quotidie perpolitur, donec omnibus suis gradibus absoluatur. Hic locus monet, ut nonnulla de perfectione Christiana dicamus, quam Iacobus hîc definire uidetur integritatem.

Quo-

Quoniam autem Monachi insulsè nugantur de perfectione Christiana, necessarium est pios rectè institui, ut intelligant quid de ea piè sentiendum sit. Sciendum est itaq; duplicē perfectionem nobis in diuinis literis commendari, quarum una Absoluta est, & est imputatio perfectæ iusticiæ & obedientiæ Domini nostri Iesu Christi. Vt enim Christus obedientia crucis culpam expiat: sic obedientia legis iusticiam imputat, ita ut omnis qui credit, perfectus & iustus perfectione & Christi iusticia appareat in conspectu Dei. Hac perfectione freti, expectamus immortalitatis gloriam. Altera perfectio in renatis est, quam omnibus pijs commendat uerbum Dei. Ambula, inquit Dominus ad patrem nostrū Abrahamum, coram me, & esto perfectus. Christus: Estote perfecti quia pater uester perfectus est. De præcepto, inquies, non est dubium, sed in quo sita sit illa perfectio quæritur. Sciendum est quod Paulus Philip. 3. uocabulo perfectionis

dupli-

dupliciter utatur. Ita enim ait: Non quod apprehenderim, aut iam perfectus sim, sed sector si etiã apprehendam, quatenus apprehensus sum a Christo Iesu. Fratres ego meipsum nondum arbitror assecutum esse, unum autem illud ago, ea quidem quæ à tergo sunt obliuiscens, ad ea verò quæ à frõte sunt enitens, iuxta præfixum signũ insequor ad palmam supernæ uocationis Dei per Christum Iesum. Quotquot igitur perfecti sum⁹, hoc sentiamus. In his Pauli uerbis apertissima est contradictio, nisi recipiamus plures esse perfectionis modos quàm unicum. Primũ dicit se nõ perfectum esse. Deinde se inter perfectos numerat. Est itaq; duplex huius uocabuli usus. Aliàs enim perfectus dicitur substantia, vt puerum dicimus perfectum hominẽ, hoc est, substantia. Aliàs perfectus dicitur quantitate seu gradibus. vt cũ dicimus: nemo habet perfectam obedientiam iuxta legẽ Dei. Priori ergo perfectionis modo perfectus fuit Abraham, Dauid, Paulus,

Latro

Latro in cruce, &c. Posteriori autem, nullus in hac uita perfectus inuentus est, præter unum Iesum Christum, sed eam perfectionem cõsequemur in æterna uita, ubi conformes Christo erimus.

Quòd autem sit perfectio aliqua ratione status gratiæ in hac uita, partim descriptionibus, partim exemplis doceri potest. Ex uerbis Pauli quæ ascripsimus, hæc definitio colligi potest. Quòd perfectio christiana sit, ualedicere peccatis, fide in Christum recumbere & eniti iuxta præfixum signũ, ad palmã supernę uocationis Dei, per Iesum Christum. Seu ut Paulus ad Timotheum definit: Christiana perfectio est militare honestã militiam & retinere fidem & bonam conscientiam. Quisquis igitur ualedicit peccato, renunciat prauis desideriis, fiducia mediatoris se sustentat, ac Deo omnem uitam approbare conatur, ut non uastetur conscientia: usu scripturæ perfectus dicitur, idq; substãtia non gradibus. Solus enim Christus perfectus & substantia & gradibus fuit. Hoc antè clarius in exemplis cõspicere licebit.

Abrahamo Gene: 17. dictum est: Ambula coram me, & esto perfectus. Huic præcepto quomodo obediuerit Abrahã, quomodoq; ambulauerit coram Deo & fuerit perfectus, Gen: 22, apertè declaratur præcepto Dei & obedientia Abrahã.

Vt autem hoc intelligatur melius, ascribamus Mosis uerba. Ecce ego (ait Dominus ad Abrahamũ) cape nunc filiũ tuum, unicum illum tuum, quem diligis Isaac, & uade ad terram Moriah & offer eum illic in holocaustum super unum è montibus, quem dixero tibi. Habes præceptũ, sequitur obedientia. Surrexit itaq; Abraham summo mane & strauit asinum suum, accepitq; duos pueros suos secum, & Isaac filium suum: cumq; concidisset ligna holocausti, surrexit & perrexit ad locũ quem dixit illi Deus. Et Paulo post. Accepit itaq; Abraham ligna holocausti & posuit illa super Isaac filium suum. Et postea sequitur. Et ligauit filium suum, & ipsum imposuit in altari super ligna, misitq; Abrahã manũ suam & accepit gladiũ, ut iugularet filiũ suum. In

In hoc Abrahami exemplo luculenter apparet, quid sit perfectio, quam Dominus à suis seruis requirit in hac vita. Deus mandat vt Abraham iam antè fide iustificatus, mactet filium suum. Abraham nihil habuit hoc filio charius, nihil dulcius. Fuit enim unicum uitæ solatium seni Abrahamo & sanctissimæ matronæ Saræ. Quid hic facit Abraham? duo intuetur. Deum mandantem, & filium quo nihil charius ipsi in uita fuit. Sed mandatum Dei præfert uitæ filij. Hinc ergo concluditur, quòd perfectio sanctorum in hac uita sit, ex fide ita obedire Deo, ut obedientiam erga Deum omnibus rebus mundi præferant. Qui ita sunt affecti, iure perfecti habentur. Verum illi qui ne affectum quidem vnicum ad mandatum Dei uolunt iugulare, quomodo de hac perfectione gloriari possunt?

Aliud exemplũ proponamus ex nouo Testamẽto. Christus Mat. 19. Iuueni, à quo interrogatus erat de vita æterna conse-

consequenda, dicit: Si uis perfectus esse, uade, uende tuas possessiones, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & huc me sequere. Christus sciuit hunc diuitem iuuenem nimium fuisse addictũ diuitijs, nec posse facilè animum ab ijs auertere. Vt ergò Iuuenis intelligat, quãtum absit à uera perfectione obedientiæ erga legem, Dominus iubet ut renuncieret diuitijs & se sequatur.

Duas hîc partes facere uidetur Dominus perfectionis, scilicet renũciare diuitijs, & sequi Christum. Verùm sciendũ est, quod ut personale præceptum fuit, quo Abraham iussus est mactare filium: ita personale est, quod hic datur iuueni. Quare neutrum in specie transferendũ est ad definitionẽ generalem perfectionis, sed in genere tantum. Alioqui nec Nohe, nec Dauid, nec Paulus fuisset perfectus.

Quare exempla hæc ad generalem definitionẽ accommodabimus hoc modo. Vt Abraham, quia ex fide prætulit

obedientiam erga Deum uitæ charissimi & unici filij, perfectus dicitur, & si iuuenis secutus Christum prætulisset paupertatem & liberalitatem erga pauperes suis diuitijs, fuisset perfectus Christi sententia: ita omnis qui ex uera fide præfert obedientiam erga Deum omnibus rebus mundi, perfectus in scriptura dicitur. Et contrà. Qui res mundi, suos affectus, honorem, gloriam, uoluptates, technas uarias, anteponunt obedientiæ erga Deũ, imperfecti sunt, imo de Christiano nomine frustra gloriantur.

Hæc congruunt cum ijs quæ suprà adduximus ex Paulo, ex quibus simul concluditur hæc perfectionis Christianę definitio.

PERFECTIO CHRISTIANA est agnita imperfectione ex fide Christi obedientiã erga Deũ præferre omnibus rebus mundi, atq; Deo totam uitã approbare.

Huius perfectionis Christus duas partes facit, scilicet, se sequi, quod fit per uerã conuersionẽ: & obedientiã erga se, rebus

rebus uel nobis chariſsimis præponere.

Atq; hactenus de perfectione Chriſtiana quoad ſubſtantiã attinet. Gradib' autem tum demum perfecti erimus, ubi apparuerit Filius Dei, cui ſimiles erimus: quia uidebimus eum ſicuti eſt, & omnis qui habet hanc ſpem in eo, purificat ſe ſicuti ille purus eſt.

Porro ſi quis ueſtrum deſtituitur ſapientia, poſtulet a Deo, qui dat omnibus ſimpliciter, nec exprobrat, & dabitur ei.

Ne quis ignorantiam prętexat, quò minus perſiſtat in tentatione, iubet Apoſtolus ut qui ſapientiam non habet, eam à Deo poſtulet: idq; in hunc finem, ut intelligat non ſolum, quomodo ſe gerat in tentationibus, ne tentationũ mole preſſus ſuccumbat, uerumetiam ut ſciat quo conſilio & quo fine Deus ſinat ſuos cruce examinari, ne eius fructu priuetur. Deus, inquit, dat ſimpliciter, id eſt, benignè. Deus enim non quærit ullum πλεονέκτημα, ſed tantum

bonitate & benignitate mera liberalis est, & non more hominum exprobrat cuiquam benignè collata beneficia, modò gratus esse perrexerit.

Si quæris, quænam sit illa sapientia, qua erudimur ad ferendas æquo animo tentationes: Respondeo, eam sitam esse in cognitione & sensu. Cognitio est intelligere ex uerbo Dei spectandum esse in quauis tentatione & cruce, cùm iudicium, tum misericordiam Dei. Iudicium quidem est, ut intelligamus nos propter peccata nostra tentari, ac uarijs ærumnis premi. Propter peccata, inquit, corripis filios hominum. Misericordia uerò est ut intelligamus, consilium Dei esse, ut tentationibus & cruce uexemur, ut agamus peccatorum pœnitentiam & non cum impio mundo pereamus. Ita enim loquitur Apostolus, 1. Cor. 11. Cùm iudicamur, à Domino corripimur, ne cũ hoc mundo damnemur.

Sensvs sapientię est sentire in animo consolationem per Spiritũ sanctũ, qui in cruce

cruce nos sustinet, ne labamur, & spe futuræ liberationis nos fulcit, sicuti in Iob uidemus qui cum cruce premeretur, hac fiducia se consolatur: Scio quòd redemptor meus uiuit & in nouissimo die resurrecturus sum. Hinc est quòd Paulus scribit Timotheo: Memento Iesum Christum resurrexisse ex mortuis.

Postulet autem in fide nihil diiudicans.

Quomodo sit postulanda sapientia à Deo, præscribit, nimirum in fide & absq; hæsitatione. Hic locus multas doctrinas continet.

Primum enim docet, quòd Deus sit omnis sapientiæ, adeoq; omnis boni fons.

Deinde ostendit, quòd idem sit liberalis ad communicandum petentibus de fonte suæ bonitatis.

Tum monstrat ordinarium medium esse, per quod bona è manu Dei accipere & impetrare possumus, orationem ex fide manantem.

Adhæc indicat quòd in oratione requiratur fides, quæ nititur benignitate mediatoris.

Præterea ex hoc loco concluditur, quòd ab oratione procul remouenda sit dubitatio. Qui enim inter orandum hæsitat, uerba tantum profundit inutiliter, non autem efficaciter orat. Ex quo & hoc sequitur: Si non hæsitandum est in oratione, frustrà statui plures mediatores. Qui enim plures mediatores quærunt, non putant se exaudiri per unicum mediatorem Christum.

Insuper cum hoc Iacobi pronuncio, pugnat dogma Papistarum, qui fidem cum dubitatione conciliare conantur.

His accedit, omnia quę ad salutẽ animæ nostræ spectant, sine conditione petenda esse.

Postremò confutatur hîc Stoica opinio de necessitate euentuũ. Vt enim hic petenti ex fide, promittitur sapientia, ita non petenti, sapientia (cuius hic fit mentio) non confertur.

Qui

Qui uerò hæsitat, similis est fluctui maris, qui uētis agitur & iactatur. Neq; enim existimet homo ille, quod acceperturus sit quicquam a Domino.

Ratio cur fidem absq; hæsitatione in oratione requirat. Nam qui hæsitat, inquit, fluctui maris confertur, hoc est, inconstans est. Nam ut fluctus maris, nunc in hanc, nunc in illam plagam pellitur, proueniẽti & æstus maris ratione: ita homo dubitans, nunc hoc opinatur, mox mutata sententia aliud putat, prout erronea doctrina & cæcis affectibus impellitur. Talis frustrà inuocat, propterea quòd uera destituitur fide. Hæc nos admoneant constantiæ, cùm in doctrina, tũ in pieratis exercitijs.

Sed fortè obijciet aliquis. In omni homine est dubitatio. Ergo in nullo est firma fides sine hæsitatione. Respondeo, secundum diuersa principia, utrunq; esse posse, & firmam fidem & dubitationem. Nam si spiritum in regeneratis

respicis, fides est firmus assensus nihil hæsitans, si uero carnem, subinde oriuntur dubitationes, quæ sunt opera carnis, contra quæ spiritus pugnat. Exemplum utriusq; habemus in Abrahamo Rom. 4.

Vir duplex animo, inconstans est in omnibus uiis suis.

VIR DVPLEX animo hic dicitur, qui de doctrina aut uoluntate Dei ambigit. Talis quia in omnibus factis suis est inconstans, nullam in oratione constantiã habere potest. Notemus ergo hoc loco fundamentum omnium piarum actionũ, adeoq; summi illius operis inuocationis, esse constantiam in doctrina & de uoluntate Dei, & in fide.

Glorietur autem frater abiectus in sublimitate sua. Diues autem in humilitate sua, quoniam sicut flos herbæ peribit.

Quia tentationis materiam ministrare potest, cùm paupertas, qua omne calamita-

mitatis genus, tanquàm ſpecie ſeu exemplo notatur, tum diuitiæ, quarum nomine intelligitur omnis proſper in hac uita ſucceſsus: oportunè obiectioni occurrit, docetq; utrunq;, hoc eſt, pauperem & diuitem. Pauperem quidem, ut non oculos defigat in præſentis uitæ calamitatem, ſed potius eam ſublimitatem reſpiciat, qua filius Dei olim effectus, in gloriã immortalitatis ſubuehetur. Diuitẽ verò ut cogitet, quàm ſint caducæ & fallaces huius mundi diuitiæ, quæ ut poſſidentem beatum non reddunt, ita citò euaneſcunt, non ſecus atq; flos herbæ.

Quid? an non Paulus dicit, qui gloriatur in Domino glorietur? cur ergo Iacobus iubet gloriari pauperem in ſublimitate ſua, & diuitem in humilitate ſua?

Nequaquam pugnant inter ſe Apoſtoli. Nã uterq; fundamentũ ueræ GLORIATIONIS in Domino collocat. Quarè hę tenendæ ſunt exceptiones. Primũ acceptũ feramus Deo, quicquid habemus boni, nobis nihil arrogates. Deinde reti-

neamus illud fundamentum, in sola Dei misericordia sitam esse nobis salutis fiduciam. Postremò in solo bonorum omniũ autore acquiescamus. Cum his exceptionibus, pia erit in omni bonorum genere gloriatio.

Et exaresc it herba & flos eius cecidit, & decor aspectus eius periit: Sic & diues in suis uiis marcescit.

Amplificat comparationẽ, in qua cõparat splendorem diuitiarum caduco flori, qui solis æstu ingraueſcente flaccesit, decidit & perit. Vt ergo stultum est, in diuitijs uanis gloriari: Ita pius præposterè fecerit, si suæ paupertatis incommodo fractus, tentationibus succumbat.

Beatus uir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam uitæ, quam promisit Deus diligentibus se.

Supra iussit, ut Christiani gaudeant, cùm in uarias tentationes inciderint, nũc refutatis, quæ obstare uidebantur, rationem suæ exhortationis reddit. Concluditur

ditur autem argumentum hoc pacto. Beatus qui ſuffert tentationem, (id eſt, qui tentationum oneri non ſuccumbit) Ergo merito gaudendum eſt pijs, cùm in uarias tentationes inciderint. Antecedens probat à fine ſuperatæ tentationis, hoc modo. Cum probatus fuerit is, qui tentatur, accipiet coronam uitæ. Ergo iure dicendus eſt beatus. Antecedens nititur promiſsionib' diuinis, quam, inquit, coronã Deus promiſit diligentibus ipſum.

Hoc loco abutũtur Papiſtę, ad ſtabiliendũ dogma ſuũ de meritis operũ. Verũ, periſtaſis loci eos confutat. Nã Apoſtolus hoc loco agit cum conuerſis, qui iam antea fide iuſtificati, per tentationes uarias tendunt ad beatitudinis portum.

Deinde aliud eſt loqui de cauſa ſalutis, aliud de uia per quam ad gratuitam ſalutem perueniendum eſt. Nec; corona uitæ eſt præmium certaminis debitum, ſed compenſatio laboris gratuita. Non enim pugnando meremur coronam, ſed eam filijs largitur ex mera bonitate pater, qui

qui non tam quid mereantur filij, quàm quod ipse ex paterna storga promiserit, considerat.

¶Si quis præterea obijcit: Corona uitæ promittitur diligentibus. Ergo dilectio est meritum coronæ. Respondendũ est, committi fallaciam nõ causæ, ut causæ. Antecedens enim non causam coronæ, sed qualitatem coronandi continet.

Et quia sunt duo rerum principia. Vnum, ut sint res. Alterum, ut cognoscantur res quæ sunt: sciendũ est, quod quantum quidem ad Deum attinet, eius mera εὐδοκία, & filij λύτρον, quantum uero ad nos, fides ipsa sint principia, quæ faciunt ut simus iusti & salui.

Verùm si cognitionem spectes iustitiæ & salutis, eius principia rectè dicuntur tolerantia sub cruce, dilectio, misericordia erga pauperes, & aliæ uirtutes. Hæ enim ut cognoscaris iustus & saluus, faciunt. Vnde Dominus: Esuriui & dedistis mihi cibum, nudus fui & cooperuistis me. &c. Ex his enim fructibus

ctibus fidei, angeli Dei & homines arborem in extremo die iudicabunt, & inde iustitiam & salutem electorum ratiocinabuntur. Verum de hac re plura in secundo capite, ubi de uiua & mortua fide agetur.

Nemo cum tentatur, dicat, a Deo tentor. Deus enim nec tentari malis potest, nec quenquam tentat ipse.

De causis tentationis acturus, primum errorem eorum qui Deum tentationis autorem putauerunt, amouet: ac prohibet, ne quisquam cum tentatur (id est, cùm ad malè agendum sollicitatur) dicat se à Deo tentari. Deus enim non uult peccatum, Ergò non sollicitat ad peccandum, nec delectatur perditione hominum. Quare ut ipse Deus expers est omnis tentationis: ita neminem tentat, hoc est, ad peccandum instigat. Locus hic apertè militat aduersus eos qui Deum autorem peccati faciunt.

Sed vnusquisq; tentatur, dum a sua concupiscentia abstrahitur & inescatur.

Tem-

Tentationis, hoc est, sollicitationis ad male agendum, causam & fontem indicat. Hunc fontem propriam cuiusq; concupiscentiam facit, cui duplicem effectum tribuit. Primum enim hominis cogitationē à bono abstrahit. Deinde inescat hominis affectus & incautum obruit. Primis proinde motibus reluctandū, ne inescati concupiscentia ruamus in peccatum.

DE TENTATIONE ET REMEDIO aduersus illam.

TENTATIO hominis est eius impulsio seu inductio ad aliquid audendum, hoc est, committendum uel omittendum. Huius plura sunt genera quæ à finibus differentias capiūt. Est enī alia tētatio seductionis, alia præsumtionis, alia probationis. De his tribus generib' ordine dicā & remedia aduersus singula indicabo.

TENTATIO SEDVCTIONIS est, cuius finis est seductio. Hac homo sollicitatur ad aliquid audendū aduersus legem Dei, quo facto seductus miserè à familia

Dei

Dei excluditur, excidit gratia, & fit reus æternæ mortis, donec resipiscat. Fides enim consistere non potest, ubi homo cedit huiusmodi tentationi, ac sciens uolens q; contumaciter mandatum Dei contemnit.

Est autem hæc seductionis tentatio, si causas eius spectes, duplex. Aut enim est interna, aut externa. INTERNA MUOco cuius principium & causa in ipso homine est, uidelicet, mala concupiscentia: quæ tyranno domestico, hoc est, peccato originali militat, atq; hominem impellit ad peccandum, ut hac ratione regnum in hominem obtineat uetus homo, hoc est, peccatum originis.

Est autem in omni homine CONCVPISCENTIA duplex, una naturalis, altera carnis.

NATVRALIS est qua naturaliter expetimus, quæ uel honesta, uel utilia, uel suauia iudicamus, recto rationis iudicio. Hæc per se opus Dei est in homine, & nullo modo damnanda, donec manse-

manserit intra suos terminos, hoc est, donec sano rationis iudicio monstrata appetit, ea uidelicet, quæ reuera honesta, utilia & suauia sunt: quibus non contaminatur, sed conseruatur natura.

Concupiscentia CARNIS est, cùm ex corruptione carnis, ea appetimus quę carni placent, & Deo displicent. Vt cum aliquid appetimus, quod lege Dei nobis interdictum est. Hæc meritò à Platone θηρίον πολυκέφαλον, hoc est, belua multiceps dicitur. De qua in prouerbiali uersiculo dicitur, πάντων γὰρ πρώτιστα κακῶν ἐπιθυμία ἔσιν. Nam hæc concupiscentia pernicioſarum prolium mater fœcundissima est.

Huic Marcus Eremita primum tribuit φιλαυτίαν, hoc est, amorem sui. Ex hac nascuntur, crapula, auaritia, inanis gloriæ sitis, quam Græci κενοδοξίαν nominant. Ex crapula libidines & omnia generis uoluptates pernicioſæ proueniunt. Ex auaritia fraus, dolus, iniuria, mendacium, uiolentia, homicidium. Ex

siti

siti inanis gloriæ, superbia, turpis ambitio, technæ uariæ. Breuiter, contemtus Dei & proximi.

Vides quàm fœcunda mater omnium uitiorum exiſtit carnis concupiſcentia, quam non immeritò quidam πασῆς κακίας πήγην appellauit, ut quæ non ſolum προκαταρκτικὸν eſt omnis iniquitatis & ἀσεβείας, uerum etiam à bono & honeſto auocat. Quando enim homines rebus cœleſtibus ſtudent & meditantur diuina: hæc accedit, ac ſuis illecebris tanquam funiculis quibuſdam eos retrahit. Quare non immeritò Iacobus affirmat, homines propria ineſcari concupiſcentia.

Sed quomodo hanc carnis concupiſcentiam ſuperabimus? Hæc beſtia arte ligandæ eſt ſingulari, & mortificanda. Ligatur autem non humanis uiribus, ſed diuina uirtute, hoc eſt, ſpiritu fidei, qui in homine renato generat nouam quandã concupiſcentiã, quæ dicitur concupiſcẽtia ſpiritus. Hęc ubi primum ſpiritu fidei concepta fuerit, opponit ſe concupiſcen-

centię carnis, unde in omnibus pñs lucta quędam acerrima carnis & ſpiritus oritur. Hinc eſt quod Paulus ait: Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum & Spiritus aduerſus carnem.

Sed unde illa ſpiritus concupiſcentia? Hæc proficiſcitur ex uirtute mortis ſepulturæ & reſurrectionis Domini, quæ olim figurata fuit in ueteribus ſacrificijs, quę ligabantur primũ, deinde mortificabãtur: ſed uis tota in ipſa cruce Chriſti eſt.

Ligare itaq; concupiſcentiam carnis, eſt eam cruci Chriſti affigere, ut in illa mortificetur, ne ſit ad operandũ efficax. Ligata proinde eſt hæc belua, quando nõ facis quod illa imperat. Mortificata eſt prorſus, quando eius uis non ſentitur, quod non ſit priuſquàm hanc uitam ea morte commutauerimus, quæ ad ueram uitam eſt tranſitus.

Huic beſtiæ ligandæ & mortificandę, deſtinantur omnia pietatis exercitia: ut precatio, lectio, meditatio, ſobrietas, diligentia in officio, fuga occaſionum, cogi-

tatio

tatio prouidentiæ Dei, æstimatio mali concupiscentiæ, uictoriq; gloriosus euentus, turpitudo quæ comitatur eos, qui huic bestiæ colla submittunt. Hæc breuiter de tentatione seductionis interna & remedio contra ipsam.

Tentatio seductionis EXTERNA est, cuius principiū & causa extra hominē est, & hæc prout uariant causæ, distingui potest. Cùm ergo huius causæ sint, nunc mundus, nunc Diabolus, nunc res nos circumstantes, fit ut huius externæ tentationis tres sint differentiæ.

MVNDVS itaq; tentat, quando sua uanitate & improbitate ad peccatum nos sollicitat. Hoc genere tentationis multi succumbunt. Nam cum intuentur mores deprauatissimos hominum, & uident simul impunitatem, multi inuitantur exemplo. Vnde rectè dicitur, mala consuetudo malitiæ pabulum. Huic generi tentationis, opponendus est splendor regni Christi, cum quo uanitas mundi cōparata sumus est uanissimus. Deinde

cogitetur breuitas uitæ humanæ, quæ etiamsi saturari posset uanitate mundi; tamen perpetuæ illæ deliciæ in regno Dei infinitis modis præferendæ sunt illi. Deinde intueamur Christum Dominum & sanctos Dei multos, qui mundi uanitatem & improbitatem contemserunt, aspicientes ad brabium legitimè currentibus propositum.

Diabolvs uariis modis tentat homines, idq; hoc consilio, ut uel impediat eos, ne in ouile Christi aggregentur, uel aggregatos turbet, ac rursus ejiciat, ne salui fiant. Nihil enim illi dulcius est, quam omnium hominum interitus.

Et hanc ob causam, tribus potissimū machinis utitur, ad inuadendum ouile Christi. Aut enim doctrinam corrumpit, aut scandala excitat, aut occasiones infinitorum scelerum objicit, ut interim taceam de hypocrisi ipsius, tyrannide, & sophistica: quibus perpetuò utitur ad oppugnandam Ecclesiam Christi. Hic cor ingreditur hominis, & rapit uerbum

Dei

Dei ex corde hominis, ut Epicureus contemtus Dei succedat: sicut in Rhapsace, aut odium & ira aduersus Deum, ut in Saule: aut rabiosa propugnatio impij dogmatis, ut in Papistis.

Huiusmodi fuere tentationes Cain, Saul, Iudę, Samosateni, Arij & nostro seculo Serueti, & aliorum plurimorum: ac multo magis hoc tempore sæuit Satan, quàm unquàm aliàs. Nam finem suorum furorum instare, & breui adfuturū filium Dei, qui ipsum cum omnibus suis membris, æternis pœnis adiudicaturus est.

Quid hic est remedij? potens est aduersarius, magna est turba satellitum Satanæ, opus est igitur fortissimo præsidio. Quodnam quęso illud? Hæc est victoria, inquit Iohannes, quæ uicit mundum fides uestra, & Salomon: Turris fortissima nomen Domini, ad hanc confugiet iustus & saluabitur. Nam, cū nulla alia sit uia superandi hanc Diabolicā tentationem, quam fiducia uiua in Christum

victorem Satanæ, & hæc viua fides ardenti oratione accendatur: summo studio conseruemus puritatem doctrinæ, unde fides pendet.

Deinde aduersus scandala & alias technas Satanæ, muniamus nos exemplis sanctorum, & erigamus nos spe futuræ liberationis per Iesum Christum: quem expectamus breui adfuturum, ut iudicet viuos & mortuos. Plura præsidia aduersus insultus Satanæ, Paulus Ephe. 6. enumerat, quæ inde peti debent.

Res circvmstantes, etiam nos supra modum tentant. Ante nos, mors, iudicium Dei, infernus. Post nos, peccata præterita, commissiones & omissiones plurimæ. A dextris, potentia, diuitiæ, honor. A sinistris, pericula, persecutiones, scandala, tristissima in hoc mundo Ecclesiæ forma.

His malis solus Iesus Christus medetur, dum fide possidetur. Si enim

ad ea quæ ante nos sunt respicis, mortem superauit uita, iudicio Dei satisfecit luens pœnas peccatorum nostrorum, infernum spoliauit. Si ad ea quæ post nos sunt, solus peccatorum expiator est. Si in eo thesauros omnium bonorum esse statueris, non facile potentia, diuitiæ, honor mundi, à Christo te abducent, nec ullis malis fractus succumbes, modò ipsum uiua fide possideas, ac ipsius opem aduersus omnia te infestantia implores.

Tentatio PRAESVMTIONIS, est cùm homo sollicitatur ad tentandum Deum, abutendo eius longanimitate, iustitia, misericordia, liberalitate, aliisq; pluribus beneficijs. Periculosa sanè hæc tentatio est. Si quis enim ea superatus fuerit, peccat licentius, quia statuit Deum bonum & misericordem esse & lentum ad iram, ut inquit Psalmus. Huic tentationi medentur potissimum hæc,

Primum, cogitatio breuitatis uitæ.

Deinde consideratio tragicorum exemplorum. Nam multi securè peccantes subitò sunt prœuenti ira Dei & sine pœnitentia hinc abrepti sunt.

Tum indignitas ipsa. Quid enim indignius est, quàm filium patrem contemnere, quia est sibi benignus & erga se misericors? Sollicitè ergo unusquisq; ambulet in conspectu Domini, sciatq; furorem Satanicum esse deliberato animo peccare, uel differre pœnitentiam propterea quòd Deus prædicetur longanimis, clemens, & misericors. Nam prædicatur etiam iustus iudex, qui irascitur peccatis & seuerè decreuit punire impœnitentes.

Tentatio PROBATIONIS est, qua exploratur fides hominis erga Deum, uidelicet cùm uel opus aliquod homini commendatur, carni graue & molestum, uel crux aliqua diuinitus contingit explorationis gratia, uel permittitur hæresis aliqua oriri contra articulos fidei.

Abraham accipit mandatum à Deo, quo iubetur filium suum Isaac, unicum

hæres

hæredem, quem genuit ei Sara libera & nobilis matrona, mactare in holocaustũ. Hoc mandatum graue & molestum carni, haud dubiè fuit: sed quid hic facit Abraham? obedientiam erga Deum præfert huic suo dulcissimo filio, quo nihil in mundo ei preciosius fuit, & accingit se ad exequendum mandatũ Dei. Gen: 22.

Iob cruce in corpore & alijs multis malis premitur, sed in patientia obedientiam Dei anteponit propriæ uitæ ac omnibus rebus alijs: Scio, inquit, quod redemtor meus uiuit, & in nouissimo die resurrecturus sum. Item, si bona suscepimus, cur non mala sustineamus?

Ecclesia primitiua multis tentata est hæresibus, & uarijs, sicuti & nos hodie tentamur, sed uelut illi, ita & nos fontem saluatoris opponamus omnibus hæreticorum cisternis plenis fœtore Satanico. De hoc genere loquitur Moses Deuter: 5. Tentauit te Deus, ut sciretur quid esset in corde tuo, an am-

bulares, in mandatis eius, nec ne. Aduersus hoc tentationis genus, munimus nos duabus rebus, conseruatione puritatis Euangelij, & constanti obedientia erga Deum, cùm in prosperis, tum in aduersis.

Deinde concupiscentia postquam conceperit, parit peccatum: peccatum uero cum consummatum fuerit, generat mortem.

In superiori uersiculo comparat Apostolus concupiscentiam escæ, qua piscator hamum tegit, ut pisces fallat & capiat: hîc confert eandem puerperæ, ut eam significet matrem esse & fontem omnium peccatorum, atq; adeo omnis mali. Dicitur autem CONCVPISCENTIA concepisse, quando affectum & uoluntatẽ occupat: quod cùm fit, mox parit peccatum scilicet actuale, cuius ueluti proles quędam ipsa mors existit & damnatio.

Fit ergo hîc mentio duplicis peccati, uidelicet, originalis & actualis. Originale concupiscentię nomine, ab eius pro-

prio

prio & proximo effectu significatur. Hoc etsi per se & sua natura est mortale peccatum: renatis tamen condonatum est, ut non inferat mortem, nisi regnare rursus cœperit, per sua mala desideria. Vnde Paulus ad Rom. 6. Ne igitur regnet peccatū in mortali uestro corpore, ad obediendū ipsi, in concupiscentijs eius. Actuale est cū sponte nos subijcimus concupiscentię, ac ei obtemperamus, integrūq; in nobis regimē ei permittimus.

Ne erretis fratres mei dilecti.

Quia persuasum nonnullis erat, à Deo homines ad male agendum tentari: rursus monet eos & hortatur ne se isto errore inuolui sinant, significans multa absurda & Deo indigna istam opinionē sequi. Vt autem firmissimam rationem eius rei, attentius & benignius audiant, fraterna cōpellatione & dilectionis suæ, qua illos complectitur, significatione, eos uelut præparat. Libētius enī audim' illos quorū beneuolentiā erga nos sentimus, cum contra, eorum insidias metuimus,

quo-

quorum animos à nobis alienos esse perspeximus.

Omnis donatio bona, & omne donum perfectũ supernè est descẽdens a Patre luminum, apud quem non est permutatio, aut conuersionis obumbratio, is quia uoluit, progenuit nos sermone ueritatis, ut essemus primitiæ quædam suarum creaturarum.

Hæc ratio firmissima est, qua Apostolus eorum errorem refellit, qui Deum homines ad malè agendum tentare, adeóq; peccati autorem esse contenderunt. Vt autem huius rationis membra melius conspiciantur, & beneficia Dei erga nos agnoscantur clarius, analysin huius periocopę instituam, & eam in sex partes retexam, ex quarum singulis propositiones Apostoli inferam, ut intelligatur quantus sit totius huius rationis, ad refellendi aduersariorum errorem.

Primvm itaq; dicit: Omnis donatio bona & omne donum perfectum (id est, minimè

minimè fucatum) ſuperne eſt. Quo dicto ſignificat nequaquam eſſe ſuperne ſollicitationem ad male agendum. Quî enim congrueret, ex eodem fonte & bona & mala promanare. Verùm ſi quis excipit malum pœnæ ſuperne eſſe, is uicißim ſciat cauſam, id eſt, malum culpæ, in homine eſſe, quòd iuſtus Deus iuſtè punit. Quare ſi iuſtitiam Dei ſpectes, pœna non mala, ſed bona dicenda.

SECVNDO addit: Deſcẽdens à patre luminum, ut pater hîc autorem & fontem ſignificat: ita LVMINVM uocabulo omnia bona ſignificantur: ueluti tenebrarum uoce, calamitates omnis generis ueniunt intelligendæ. Vnde hæc ratio conficitur. Deus eſt pater luminum, id eſt, autor omnium bonorum. Ergo non eſt tenebrarum autor, ut illi tentatio ad malum ſit aſcribenda. Notetur hoc Dei elogium, quòd ipſi ſoli competit, nimirum, quòd ſit ſolus fons & autor omniũ bonorum. Vnde admoneamur & inuocationis, qua ab illo bonorum fonte bona

na petamus, & gratitudinis, qua nos gratos erga ipsum exhibeamus.

TERTIO addit, Apud quem non est permutatio. Hæc speciem occupationis habet, ne quis enim eundem & bonorum & malorum autorem diceret, eius constantiam qua in suis actionibus est immutabilis opponit. Cùm ergo apud Deum permutatio locum non habeat, & fons bonorum esse conuincatur, quis d sine blasphemia mala ascribet?

QVARTO addit, Aut conuersionis obumbratio. Habent & hæc occupationis speciem. Videmus uariam & multiplicem esse conuersionem cœlestium luminum, & permutationem. Sol enim nunc clarus & limpidus collucet, rursus uehementi obscurus delitescit. Ne quis huiusmodi obumbrationem Deo tribuat, eum i conuersionum obumbratione uendicat. Vnde colligatur, cùm semper sit sibi similis, non nisi bona ab eo proficisci.

QVINTO, Is (ait) quia uoluit, progenuit nos sermone ueritatis. Hoc exempli causa

causa ponit. Deus, cùm essemus prima nativitate nostra, filij iræ & damnationis, ex mera paterna sua beneuolentia fecit nos filios suos, per sermonem veritatis, id est, per Euangelium. Qui enim Euangelio credit, filius Dei per Spiritum Christi efficitur. Cùm igitur tãto honore nos dignatos est Deus, quis credit ipsum ad male agendum sollicitare quenquàm?

Sexto, additur argumentum à fine regenerationis, cùm ait, ut simus primitiæ quædam suarum creaturarum, id est, ut simus sancti. Cùm igitur nos regenuit, ut simus sancti, absurdũ est cogitare ipsum nos pollutos efficere, sollicitatiõe ad malè agendũ. Cum primitias sanctos uocat, alludit ad ritum legis, quo primi fructus Deo consecrabantur. Vnde admonemur ut uerã sanctitatẽ perpetuò meditemur.

Deinde discernit inter Ecclesiam & reliquum mundum. Vt enim illa sancta & Deo dicata est: ita mundus reliquus suis pollutionibus inuolutus prophanus & impius existit. Porrò ex hac regenera-

ratio-

rationis doctrina, sequentes paræneſin extruit Apoſtolus.

Itaq; fratres mei, ſit omnis homo velox ad audiendum, tardus ad loquendum.

Exemplo Chriſti, Pauli, Petri atq; adeò Prophetarum & Apoſtolorum omnium ex regenerationis uirtute, extruit neceſsitatem piè ſanctèq; uiuendi. Eſt enim pietas & ſanctitas effectus proprius regenerationis. Et quia Deus requirit circumciſionem quandam auriũ & labiorum: Iacobus eandem urget, & uult regeneratum uelocem eſſe ad audiendum, diſcendumq; ea, quæ ſalutaria ſunt, & tardum ad loquendum. Quo dicto uult, primum ut lingua non præcurrat mentem. Secundò, ut futiles & inanes obtrectatorios ſermones fugiamus. Tertiò, ut neceſſaria tantum, quæ faciunt ad ædificationem & honeſtatem loquamur. Huc optimè quadret Græcus uerſiculus:

ἢ λέγε τι σιγῆς κρεῖττον, ἢ σιγᾶ ἔχε.

Hoc

hoc est, aut dic aliquid silentio melius, aut silentium habe.

Tardus ad iram: Ira enim uiri iustitiam Dei non operatur.

Quodnam iræ genus hîc prohibeatur, & ratione subiecta & conclusione, imò ex tota perisi asi loci huius colligendum est. Ira uiri, inquit, iustitiam Dei nõ operatur, id est, non exequitur, quod Deus loquitur & præscribit, imò facit, ut frustrà Deum loquentem audias. Quia propter IRA hoc loco accipitur pro ea ira, quę proficiscit ex cõtendendi studio, quo impeditur audiẽtia. Vult igitur Apostolus, ut sedatis affectibus alij alios audiamus. Vbi enim tumultibus & contentionibus est locus, exulat iustitia Dei, id est, in nullo loco habentur, quæ Deus nobis præscribit & à nobis exigit.

Quapropter deposita omni malitia immunditiæ & redundantia malitiæ, cũ mansuetudine recipite insitũ sermonẽ, qui potest seruare animas uestras.

Conclusio est exhortationis, qua nos hortatur, ut simus ad audiendum ueloces sine ira. Hic locus eleganter docet, quales nam uerbum Dei requirat auditores. Primum immunditia & redundantia malitiæ abesse debet, hoc est, carnis affectus & ratio debent cedere uerbo Dei, ut non contentiones, unde ira nascitur, moueat. Deinde adesse debet mansuetudo, quę in locum iræ succedit. Est autem hoc loco MANSVETVDO, modestia & facilitas ad discendum composita. Tertio ita composito animo, suscipiendus est sermo insitus, id est, recipiendus est fide sermo, qui inseritur uel implantatur opera ministrorum. Quarto, effectus recepti sermonis additur, ut eo ueluti stimulo ad diligentius audiendum excitemur. Qui, inquit, potest seruare animas uestras, idq; ideo, quia ex auditu uerbi Dei fides concipitur, quo homo iustificatus impellitur, ut nouitati uitæ studeat. Vnde sequitur.

Estote autem factores sermonis, & non

auditores

auditores ſolum, decipientes uoſipſos.

Qualem requirat auditorem, his uerbis etiam declarat Apoſtolus. Vult ut non tantum ſimus auditores ſermonis, ut maxima pars hominum eſt, ſed factores etiam, hoc eſt, tales in quibus ſermo, qui inſeritur, radices agat: quod fit dum fides ex uerbo concipitur, & obedientia noſtra teſtatur fidem. Hoc Chriſtus uocat cuſtodire ſermonem, cum inquit, Beati qui audiunt uerbū Dei, & cuſtodiunt illud.

Porrò obſeruandū eſt, quòd FACTOR SERMONIS dicatur dupliciter, nempe iuxta regulam Legis, & iuxta gratiam Euangelij.

Iuxta regulam legis dicitur is Factor legis, qui legem perfectè implet, quod Paulus Rom. 1. 2. & 3. nullum mortalium præſtare poſſe, quatuor euidentiſsimis demonſtrationibus oſtendit.

Secundum gratiam dicitur Factor ſermonis, qui fidem ex uerbo conceptam

uera pietate testatur, ac tota uita, quanti in hac corrupta natura fieri potest, ueram pœnitentiam meditatur. Et si lapsus fuerit aliquando, siue sciens, siue per ignorantiam, mox redit uera pœnitentia ad Dominum, quemadmodum infinita Sanctorum exempla testantur.

Cur autem uelit factores sermonis, & non auditores tantum, ostendit cum addit, Decipientes uosipsos, hoc est, fallacibus ratiocinationibus seipsos fallentes, seu propria Sophistica se ipsos decipientes, quemadmodum non solum hypocritæ faciunt, qui externis operibus nituntur, sine uera pœnitentia: uerumetiã multi, qui sub Christiano nomine Turcicum gerunt animum. Hi semper in ore fidem habent, semper gloriantur de mediatoris beneficijs, etsi nunquam de uera resipiscentia cogitent.

Nam si quis auditor est sermonis & non factor, hic similis est hominis considerantis faciem natiuitatis suæ in speculo, consideravit autem semetipsum

&

& abiit, & protinus oblitus est qualis sit.

Pulcerrima similitudine rationē reddit, cur non uelit auditorem tantum sermonis. Absoluitur autem similitudo hoc modo: Quemadmodum qui intuetur suam in speculo imaginem, labilem in mente cognitionem & debilem suæ formæ memoriā retinet, atq; ideo talis contemplatio nihil prodest: Ita auditor sermonis tantum, nullam firmam cognitionem retinet. Nam mox ubi audiuerit, euanescit, ideoq; talis cognitio inutilis est, & nihil prodest auditori.

Eleganter admodum HYPOCRISIS imagini in speculo relucenti comparatur. Nam ut in speculo, quamuis quædā similitudo appareat, eò tamen falsa est, quòd in speculo quæ læua sunt, dextera: quæ uerò dextera, læua referantur, atq; ita ueritati fucus fiat: Sic in operibus hypocritarum, etsi quidā splendor oculis hominum obuersatur, tamen falsus est, quòd quæ impia sunt sancta & uera habeantur.

Si quis interroget, quî fiat quod adeo labilis sit cognitio, & debilis memoria ex contemplatione speculi: sciat quód modus, agendi secundum Philosophos, essendi modum sequatur. Nam cum imago in speculo habet, ut illi loquuntur, debile esse & intentionale potius quam reale, facit debilem in mente impressionem, quemadmodum in quibusdam etiã insomnijs fieri animaduertimus.

Qui uerõ introspexerit in legem perfectam, quæ est libertatis & permanserit: hic nõ auditor obliuiosus, sed factor operis, beatus in opere suo erit.

Exponit quis factor legis sit habendus, idq; ut ante admonui, iuxta gratiam & non secundum rigorem legis. Perfectam uocat legem, quia perfectam uiuendi regulam præscribit. Eandem libertatis dicit, quia quó magis illi quisquam fuerit addictus, modò in Christum credat, eo magis se liberum esse declarat. Seruire enim Deo, regnare est. Qui in

hanc

hanc legem introſpexerit, ut eam penitus cognoſcat & uita exprimat, hic, inquit, non eſt obliuioſus auditor legis, ſed factor, qui etiam beatus in ſuo opere erit. Nam ex effectibus noſcitur fides ut arbor ex fructibus, quæ fides ſola Chriſtū apprehendit, qui ſolus factus eſt nobis à Deo ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio & redemtio, ut qui gloriatur, in Domino glorietur.

Loquitur igitur hîc Iacobus, de qualitate iuſtificatorum, & præmijs obedientiæ illorum, non de cauſis iuſtificandorum. Bernhardus: Bona opera non ſunt cauſa regnandi, ſed uia regni.

Si quis uidetur religioſus inter uos eſſe, nec frenat linguam ſuam, ſed decipit cor ſuum: huius inanis eſt religio.

Hypocritas taxat, qui ſe religioſè legem obſeruare gloriabantur, & interim laborant obtrectandi libidine, quod uitiū omnibus hypocritis familiare eſt. Quēadmodum Euangelica hiſtoria in Phari-

ſęo oſtendit, qui de ſua religione gloriabatur, ac interim alios homines accuſabat maledica lingua. Vnde autem iſtud uitium proueniat, oſtendit cum addit, ſed decipit cor ſuum, hoc eſt, φίλαυτος eſt, & de ſeipſo non rectè iudicat. Iudicat enim ſe pium & religioſum eſſe, ſed eius inanis eſt religio, id quod ſequenti ratione probatur.

Religio pura & impolluta apud Deum & patrem, hæc eſt: uiſitare pupillos & uiduas in afflictione ipſorum, incontaminatū ſeipſum ſeruare a mundo.

Probat à religionis quibuſdam proprietatibus, Hypocritas laborantes obtrectandi ſtudio, non uerè religioſos eſſe. Concludit autem argumentum hoc pacto: Verè religioſi ſeruant ſe immaculatos à mundo & miſericordiam afflictis præſtant. Hypocritæ qui uolunt uideri religioſi, non ſeruant ſe immaculatos à mundo, nec afflictis miſericordiam præſtant. Quarè non ſunt religioſi, ſed uani potius iactatores religionis.

Non

Non fuit consilium Iacobi religionem integrè definire, sed tantum eius aliquas proprietates ponere, pugnantes cum Hypocritarum uanitate. Quarè non sunt audiendi quidam, qui hic Iacobum flagellant, tanquam hominem ignarum ueræ religionis. Aliud enim est rem definire, aliud eam notis quibusdam designare, id quod ignorare Iacobi flagellatores turpe est.

Cæterum hæc plena & perfecta religionis Christianæ definitio est. CHRISTIANA RELIGIO est uiua fiducia in Iesum Christum & eius confessio, cui coniunctum est & purum colendi Deum studium, & sincera erga homines charitas, una cum spe immortalitatis promissæ.

Partes proinde substantiales religionis Christianę natura coniunctę sunt fides, cultus Dei, charitas proximi, & spes promissæ salutis per Christum.

CAPVT SECVNDVM.

SVMMA CAPITIS SECVNDI.

VT à contemtu pauperum & personarum acceptione conuersos dehortatur: Ita inanem fidei iactantiam, quæ suis germanis fructibus destituitur, damnat.

ORDO ET PARTES.

Duæ sunt partes huius capitis, quarum prior est ἀποτρεπτικὴ. Dehortatur enim Christianos à personarum acceptione. Hæc pars absoluitur propositione & confirmatione.

Posterior est διδασκαλικὴ. Docet enim fidem inanem esse, quæ caret operibus. Absoluitur & hæc pars propositione & confirmatione.

EXEGESIS SECVNDI CAPITIS cum obseruatione doctrinarū.

Fratres mei, ne in personarum acceptionibus habeatis fidem Domini nostri Iesu Christi gloriæ.

Hæc

Hæc prima propositio huius capitis est, cui implicita est ratio quædam, quarè ita resoluenda erit: Fratres nolite personas acceptare. Hæc propositio pura est. Ratio propositionis hæc est, quia fides Domini nostri Iesu Christi & personarū acceptio ita repugnant, ut simul stare nō possint. Quare? Quia Christi gloria requirit, ut omnes eos ueneremur, in quibus Christus habitat. Ita non frustra glorię uocabulum additum est. Et est notus Hebraismus, quo genitiui appellatiuorū ponuntur sæpe loco epithetorum.

Quid? an non Psalmus: Inter habitatores tabernaculi Domini, hoc est, inter hæredes uitæ æternæ, collocat eum qui reprobos contemnit, & honorat timentes Dominum? Est ne illa personarum acceptio?

PERSONARVM ACCEPTIO propriè est, cùm causa uera, ex qua de persona pronunciari oportet, neglecta, aliquid aliud extra causam in personis spectamus, propter quod uel pro persona sen-

sententiam falsam pronunciamus, uel a-lioqui personam acceptamus & com-plectimur.

Quare hoc Apostoli præceptum ne-quaquam subuertit ordinationem diui-nam, in quarto præcepto sancitam, de honore superiorum. Verùm si quis pau-perem pium contemneret, & diuitem re-probum ei præferret, is uera causa omis-sa male iudicaret, sicuti Iacobus osten-dit, cum ait:

Si enim ingressus fuerit in cœtum ue-strum, uir aureos annulos gestans, ueste indutus splendida: ingressus fue-rit & pauper in sordida ueste, & re-spexeritis in eum, qui uestem fert splendidam, ac ei dixeritis, tu sede hic honestè, & pauperi dixeritis, tu sta il-lic, uel sede hic sub scabello pedum meorum: nonne discrimen feciſtis apud uos, & facti estis iudices mala-rum cogitationum?

Hoc exemplo declarat, qualem σω-πο-

τὸ προσωπολημψίαν damnet, nimirum eam, quæ falsum pro uero in iudicandis hominibus discrimen sequatur. Qui enim id facit non solum proprio suæ conscientiæ iudicio damnatur, uerumetiam peruersum est eius iudicium, qui diuitias accipit pro discriminis regula.

Non ergo simpliciter prohibet honorare diuites, sed per comparationem loquitur, & eum damnat, qui diuites improbos cum piorum pauperum contemtu honorat. Hîc proinde εα προσωπολημψία damnatur, quæ falsum pro uero discrimen sequitur, quæ modum non seruat, quæ à recto fine aberrat. Si quis ergo diuitem, quia dives est, pauperi anteponit, peruersum est eius iudicium. Deinde si ita præponas diuitem pauperi, ut pauperem ignominiosè tractes, in modo peccatum est. Postremo si diuitem incundæ gratiæ causa præponas pauperi, à recto fine aberrasti. Quid enim indignius est, quàm spreto pio, docto, egente, impium, indoctum, diuitem splen-

splendidè excipere? Qui huiusmodi discrimen apud se facit pauperis & diuitis factus est iudex malarum cogitationum, hoc est, non rectè affectus, peruersè iudicat contra pietatis & charitatis regulam.

Audite fratres mei dilecti, nonne Deus elegit pauperes huius mundi, diuites in fide & hæredes regni, quod promisit diligentibus se?

Exordiolo auditores excitat, ut argumentum quod subiungit, attendant. Deus pauperes huius mundi, qui in fide sunt diuites, elegit, ut sint hæredes regni, quod promisit diligentibus ipsum. Ergo pauperes huius mundi, non sunt contemnendi.

In hoc argumento obserua ORDINEM REPARATIONIS nostri.

PRIMO loco ponitur electio, quæ ab ibi non quærenda est, quàm in filio: ad Ephes: 1.

SECVNDO ponitur fides, qua generalis electio accommodatur auditoribus

Euan-

Euangelij. Elegit enim Deus hac conditione, si homines filio inserantur fide, extra quem nulla est electio, sed mera reprobatio.

Tertio ponitur hæreditas, qua significatur adoptio, qua credentes ius filiorum accipiunt.

Quarto additur dilectio. Nam ea Germanus fructus fidei est, & filiorum Dei propria affectio. Non igitur mirum est, Deum promisisse diligentibus se regnum. Nam illi per fidem ius filiorum obtinuerunt, adeoq; regni cœlestis hæredes inscripti sunt. Nam dilectionem non esse causam regnandi, constat ex Paulo, qui ait: Vita æterna donum Dei, per Dominum nostrum Iesum Christũ.

DE ELECTIONE.

Hic locus monet ut nonnihil de electione dicam: Video enim non paucos, ab huius electionis uera causa aberrare. Paulus dicit, 1. Corint: 1. Videte uocationem uestram fratres, quod non

multi

multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: uerũ quæ ſtulta ſunt in mundo, elegit Deus &c: Et hĩc Iacobus dicit pauperes huius mundi elegit Deus.

Hinc quidam haud rectè colligunt: Sapientes, potentes, nobiles, diuites reprobatos eſſe, & contrà, rudes, impotẽtes ignobiles & pauperes electos eſſe. Nam ſi ſapientia, potentia, nobilitas & diuitiæ, quæ omnia ſunt dona Dei, eſſent cauſa reprobationis, & contrà, ſtultitia, impotentia, ignobilitas & paupertas eſſet electionis cauſa: ſequeretur & omnes diuites reprobatos eſſe & omnes pauperes electos. Sed utrunq; falſum eſt. Nam & non pauci diuites & nobiles pij ſunt electi & ſaluati, & multi pauperes impij ſunt reprobati & damnati.

Cur ergo Paulus dicit non multi ſapientes, non multi potentes, non multi nobiles?

Paulus non loquitur de conſilio Dei, qui uult omnes homines ſaluos fieri &

ad

ad agnitionem ueritatis uenire. 1. Tim. 2. Qui nō uult ullos perire, sed omnes ad pœnitentiam recipere. 2. Pet. 3. Sed accusat hominum malitiam, qui donis abutuntur in sui perniciem.

Euangelium quidem uocat omnes, sed alij aliud prætendunt, iuxta parabolam Euangelicam, quò minus ueniant. Multi sapientia mundi, multi potentia, multi nobilitate, multi diuitijs, multi etiā alijs rebus, ueluti inescati & inebriati, odorem bonum Euangelij auersantur. Vnde fit ut non consilio Dei, qui neminem creauit ad certam damnationem, sed suo uitio non sint electi. Deus enim ita demum uult omnes homines saluari, si salutis autorem fide fuerint amplexi. Qui hunc contemnunt, iure salute excidunt. Hos enim Deus abijcere uult & damnare, non secus atq; pater terrenus abijcit & exhæredat filium proteruum & contumacem, non hoc facturus si patri morem gessisset.

Si igitur consilium creationis & repa-

rationis per Christum consideremus: Deus uerè uult omnes homines saluos fieri, sed per salutem, hoc est, per Christum mediatorem. At si euentum, uult omnes damnare, qui sibi per Euangelium uocanti non obtemperarint.

Hoc confirmatur dicto Domini apud Matthæum. Multi sunt uocati, pauci uero electi. Huius dicti sunt duæ partes. Prior commendat nobis bonitatē Dei, qui multos per Euangelium uocat quos saluentur. Neq; enim cogitandum est, quod Deus uocat quos saluare nolit. Posterior est querela ingratitudinis maximæ partis hominum, qui Euangelium contemnunt, ac nolunt dignè uiuere tam augusta uocatione. Quod Christus apud Matthæum conqueritur, ubi reprehenditur, qui non habuit uestem nuptialem: cui reprehensioni subiungitur hæc Christi querela: Pauci sunt electi.

Hanc querelam lachrimis etiam in-

dicat,

dicat, Matth. 23. cùm inquit: Quoties uolui congregare filios tuos, sicut congregat gallina pullos suos sub alis & noluisti. Ecce Christus uult, Ierusalem non uult.

Est ergo sensus dicti Domini, multi sunt uocati, scilicet ad consequendam salutem per Christum, modo Euangelio credere uelint. Sed pauci sunt electi, hoc est, pauci habent uestem nuptialem, hoc est, pauci credunt ac uerè pij sunt.

Quòd hæc sit significatio uocis electionis, patet ex Psalmo, ubi electus & peruersus opponuntur, ita enim ait: Cum electo electus eris, & cum peruerso peruerteris. Ergo electus dicitur uerè pius & sincerus Dei cultor, retinens fidem & bonam conscientiam.

Quare non est quòd quisquam electionis cogitatione perturbetur, ac si Deus certos quosdam homines destinasset

salutí, & maximam partem hominſi certæ damnationi, ſed potius cogitet, hanc immotam eſſe uoluntatem Dei, quòd ut uelit pœnitentes omnes ſine diſcrimine ſaluare: ita contrà, omnes impœnitentes damnare. Atq; hi dicuntur non electi propter euentum: nam ipſi ſibi uiam ſalutis intercluſerunt.

Obtemperemus ergo Euangelio, ut uiuamus in uera pœnitentia, non ſinamus nos curis huius mundi abduci à Chriſto. Sed potius omnibus rebus mundi, anteponamus obedientiam erga Euangeliũ, quò ſalutem promiſſam conſequamur per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtũ, in quo Deus ante fundamenta mundi elegit credentes.

At uos contumelia affeciſtis pauperem.

Hac antitheſi acrocitatem ſceleris indicat. Deus pauperes credẽtes honorat, at uos contumelia afficitis pauperes. Scelus igitur ueſtrum graue & indignum hæredibus regni Dei eſt.

Nonne

Nonne diuites per tyrannidem opprimunt uos? & trahunt uos ad iudicia? Nonne blasphemant præclarum illud nomen, quod inuocatū est supra uos?

Hæc duo argumenta plana sunt. Stultum est suos carnifices honorare, & eos qui uera sanctitate pollent contemnere. Id facitis, quando Tyrannos uestros diuites, cum contumelia pauperum honoratis. Diuites impij præclarum illud nomen Christi, quo uos censeri uultis, & a quo Christiani appellamini, blasphemāt: Ergo indignum est, ut eos honoretis cū pauperum contemtu.

Si legem quidem regiam perficitis secundum scripturas: Diliges proximū tuum ut teipsum. Sin uerò personam respicitis, peccatum committitis, & redarguimini a lege ueluti transgressores.

Anticipatio est. Anteuertit enim hypocritarum obiectionem, qua poterant

se excusare, ut qui honorando diuites bene facerent, cùm honor in dilectione includatur, quã lex requirit erga proximũ.

Respondet per conditionem duplicem, Si perficitis (id est, ex fide & uera animi integritate præstare conamini, absq; fuco & hypocrisi. Hîc enim perfectionis uocabulum non ad gradus, sed obedientiæ substantiam, seu partes referendum est) legem regiam, (id est, legem quæ regia quædam uia, hoc est, recta & plana est, quæ uiatorem sine diuerticulis, ad locum destinatum ducit. Est autem illa regia uia, diligere proximum, & hoc tantum in eo spectare, quod proximus sit, & non alia in proximo respicere) bene faciris, id est, iusta est uestra defensio. At si personã respicitis, peccatũ cõmittitis. Quod autẽ personã respiciatis manifestũ est ex uestro facto. Diuites enĩ reprobos honoratis, & cõtumelia pios pauperes afficitis, quod sanè nõ est regia uia incedere ad dilectionẽ proximi.

Quisquis autem totam legẽ seruauerit,

offendit

offendit autem in uno, factus est omniũ reus. Qui enim dixit nõ mœchaberis, dixit etiam non occides. Quõd si non fueris mœchatus, occideris autem, factus es transgressor legis.

Fortius hypocritas pungit, qui sibi blandiebantur cùm in uno capite legis, uiderentur sibi bene perfuncti esse suo officio: quorũ hypocrisin taxat hoc argumẽto. Qui uerũ aliq̃ caput legis uiolat, legis trãsgressor est, & iudicio legis reus. Nã totam legẽ uiolauit. Hoc proposito exẽplo quinti & sexti p̃cepti declaratur.

Ex hoc loco, qui uel peccata paria esse, uel reatum omnis transgressionis æqualem contendit, uim facit uerbis Apostoli, qui hoc loco tantum agit cum hypocritis, qui perfectionem legis ex parte iudicârunt, contra quos Apostolus transgressionem ex parte opponit.

Quod autem peccata non sint paria, sicuti Stoici uoluerũt: PRIMVM ex causis patet, quis enĩ non intelliget grauius esse ex malitia peccare, quàm ex infirmitate & ignorantia?

Deinde euentus idem comprobat, qui sciens & uolens peccat, excutit Spiritum sanctum. Qui uerò ex imbecillitate labitur, non item.

TERTIO, inæqualitas pœnæ quam Deus iustus iudex infligit, inæqualitatem delictorum concludit. Seruus sciens uoluntatem & non faciens, uapulabit plagis pluribus.

QVARTO, propria cuiusq; conscientia peccatorum gradus naturaliter intelligit, ad alia enim magis ad alia minus cruciatur.

QVINTO, lex Dei, & omnes leges politicæ, gradus peccatorū, ad quos moderantur pœnas agnoscunt. Argumenta Stoicorum speciosa quidem sunt, sed nituntur falso fundamento, contra quę opponantur rationes quas ascripsi.

Ita loquamini & ita faciatis, sicut per legē libertatis iudicandi. Nam damnatio absq; misericordia, ei qui non præstiterit misericordiam & gloriatur misericordia aduersus iudicium.

Infert

Infert generalẽ exhortationem ad piè ſanctèq; uiuendum, ſumto argumento ab extremi iudicij ſententia, quæ Matt. 25. recitatur. Cùm enim dicit Apoſtolus, ſicut per legem libertatis iudicandi, reſpicit ad ſententiam Domini, qui iudicaturus orbem dicet iis, qui à dextris ſunt: Venite benedicti patris mei, & hæreditate capite regnum uobis paratum à conſtitutione mundi. Eſuriui enim & dediſtis mihi cibum &c: Contrà, iis qui à ſiniſtris ſunt, dicet; Ite uos maledicti in ignem æternum; Eſuriui & non dediſtis mihi cibum.

Huc illud Iohan. 5. Veniet hora in qua omnes, qui in monumento ſunt, audient uocem eius & prodibunt, qui bona fecerunt, in reſurrectionem uitæ, qui uerò mala egerunt, in reſurrectionem iudicij.

Et 2. Cor. 5. Omnes nos manifeſtari oportet coram tribunali Chriſti, ut reportet unuſquiſq; quæ per corp' facta fuerunt, prout fecerit, ſiue bonũ ſiue malum.

Quòd hæc dicta & similia intelligenda sint de qualitate saluandorum, & non de causis salutis: totius scripturę consensus, adeóq; sanguis Christi preciosus, ostendit, sicuti paulo post distinctius declarabo.

Sed cur uocat LEGEM LIBERTATIS? ut eo Epitheto ostẽdat merito requiri libertatis fructus à Christianis. Vt enim qui peccatũ facit, seruus est peccati: ita liberatus per Christũ, non amplius seruus erit, sed liber, quare seruitutis iugum nequaquam in se recipiet. Ætiologiã subiungit Apostolus, cũ ait. Nam damnatio erit absq; misericordia, ei qui non præstiterit misericordiã. At ei qui præstiterit misericordiã, tantũ abest ut damnetur, quòd glorietur etiã aduersus damnationẽ, morti, peccato & Diabolo insultans.

Hæc docent quàm necessaria sit Christianis perpetua pœnitentia, perpetuum pietatis & iustitiæ studium, ne gratuitum beneficium salutis sua culpa amittant.

Cæte

Cæterùm quia aduerſarij gratuitæ ſalutis abutuntur hoc loco & ſimilibus, & faciunt ex inditijs & qualitatibus ſaluandorum cauſas ſalutis : breuiter reſponſum colligam, quô pius lector habeat, quòd ſolidè & uerè ad iſtã calumniam reſpondere poſsit.

Cum igitur ſcriptura diſertè dicat, Dominum redditurum unicuiq; ſecundum opera ſua, ſeu, ut Paulus ad Cor. loquitur, prout quisq; fecerit ſiue bonũ ſiue malum: omnium primum hoc tenẽdum eſt, quod iſta generalis ſententia ipſiſsima uox Dei, duobus hominum generibus accommodari debeat, iuxta fidei analogiam, hoc eſt, impijs quidem Legaliter, pijs uero Euangelicè, hoc modo. Quando impijs reddit Dominus, ſecundum opera eorum, absq; dubio illis infernum reddit & damnationem. Ea enim ſunt operũ impietatis merita. Verùm cum de pijs ſeu conuerſis agitur, plura ſpectanda ſunt. Primum enim ex uerbo Dei infallibili conſtat, quòd uita

æterna

æterna non sit seruorum stipendium, sed filiorum hæreditas & Dei gratuitum donũ, Rom. 4.5.6.8. Iohan.1.3.5. Deinde analogia inter patrem terrenũ & patrem cœlestem consideranda est. Nam ut pater terrenus suis liberis reddit secundum eorum opera, hoc est, obedientibus hæreditatem & contumacibus exclusionem ab hæreditate: Ita Deus pater suis filijs hæreditatem pollicetur, sed eos, qui ex filijs contumaces & hostes fiunt, hæreditate excludit. Nunc autem manifestum est, quòd filij terreni patris nec filij sint, nec hæredes, suorum operum merito. Ad eundem modum filij Dei, nec filij facti sunt, nec hęredes propter opera, sed per adoptionis gratiam, quæ sola fide accipitur, nihilominus uterq; reddit suis filijs, secundum opera eorum.

Verum ut hoc clarius adhuc intelligatur, quomodo Deus redditurus sit unicuiq; secundum opera sua, quatuor nobis perpendendę sunt circũstantiæ. Quarum PRIMA est, quòd pĩs rigor legis

sit sublatus, iuxta illud ad Galat. 3. Christus nos redemit de maledictione legis. SECVNDA, quod persona iam credens fide placeat, & sit hæres uitæ æternæ, Iohan: 1. TERTIA, quod à persona credente Deus non solum requirat obedientiam, sed etiam ei promittat mercedem, idq; non ex debito propter dignitatem operis, sed ex gratia propter paternam promissionem. QVARTA, opera sic facta ex fide, sunt testimonia fidei, ut proprij effectus suæ causæ certissima sunt indicia. Atq; ideo dicitur, Dominus redditurus est secundum opera, cùm quia opera sunt uera indicia timoris Dei & fidei, tùm ut tota creatura testetur de iustitia Dei in iudicando. Hæc responsio ex scripturæ collatione desumta est, quã firmiter tenere est necesse, ne uel cum Papistis operum meritis tribuamus salutem, uel cum Antinomis & Libertinis benefaciendi studium abijciamus.

Illustratur hæc solutio insigni paradigmate, Matth: 18. vbi Dominus air:

Regnum

Regnum cœlorũ esse simile homini regi, hoc est, spiritualem Ecclesię conditionem eandẽ rationem habere, quæ est inter regem terrenũ & eius seruos in præsentis uitæ negocijs. Quemadmodum enim rex supplici seruo decies mille talentorum debitori, condonauit totum debitum gratis ex sua mera liberalitate: Ita Deus Pater confugientibus ad se fiducia Christi condonat gratis omnia debita, hoc est, peccata. Hinc patet gratuitam esse remissionem peccatorum. Verum sicuti rex seruum illum ingratum & durum erga conseruos, reuocauit ad pœnam, & quod antea supplicanti condonauit, iam à contumaci & duro in conseruos repetit: Ita Deus Pater postquam recepit gementes in gratiam, uult nos imitari suum exemplum benignitate erga proximum.

Hoc ipsum docet Dominus, Luc: 7. proposito paradigmate de duobus debitoribus, quorum alter debuit creditori quingentos denarios, alter uero quin-

qua-

quaginta, qui cùm non haberent quod redderent, utrisq; condonauit. Hìc Dominus interrogat Pharisæum, uter horũ creditorem plus diligat, cui cùm Pharisæus respondisset, is cui plus condonatum esset, ait Dominus, rectè iudicasti: significans Deũ requirere gratitudinem ab ijs, quos in gratiam gratis recepit.

Hinc duo colliguntur, uidelicet, quòd & remissio sit gratuita, & quòd consecuti remissionem debeant Deo gratitudinem.

Quæ utilitas fratres mei, si fidem dicat aliquis habere se, opera uero non habeat: num potest fides illa eũ seruare?

Quia fuerunt inter eos, quibus scripsit Apostolus, hypocritæ, qui cùm nulla uera pœnitentia tangerentur, gloriabantur tamen se fide seruari, quam uerã & uiuam non habuerunt, instituit istius erroneæ opinionis confutationem, ac docet fidem inanem esse, quæ suos germanos fructus non edat.

Est

Est autem hæc propositio diligenter obseruanda, fides quæ non habet opera est inefficax & inanis, seu ut Iacobus loquitur, seruare non potest. Hæc sola propositio confirmatur usq; ad finem capitis. Quare turpiter hallucinantur, qui Iacobum committunt cum Paulo, cum ille tantum de inani Hypocritarum iactantia: hic de uiua fiducia differat.

Proinde obseruemus hoc loco diligenter quam nam FIDEM, appellet Apostolus INANEM nempe eam quæ nullam erga Deum habeat obedientiam comitem, ut quæ nec Deum colit nec proximo benefacit: ex quo manifestè sequitur Iacobum nequaquam loqui de fide uiua & salutari, à qua spiritus Christi separari non potest. Nam ubi spiritus est Christi, ibi nouæ sunt noui hominis actiones, etsi non perfectæ, incoatæ tamen, ex quibus fidei uis agnoscitur, & foras profertur.

Quid ergo illa inanis fides? estne omnino inefficax? salutares fructus nul-

los

los edit, destituitur enim salute, sed Gehennæ & mortis. Est enim uanitatis, superstitionis & hypocriseos mater fœcundissima, est gloriatio stulta, est ueræ fidei larua, est seductio hominis, est pœnitentiæ pestis, est bonorum operum inimica, est salutis intercluſio, est dux mortis: breuiter partem suam cum hypocritis & diabolis habet.

Quod si frater aut soror nudi fuerint, & egẽres quotidiano uictu, dicat autem eis aliquis uestrum, abite in pace, calescite & saturamini: nõ tamen dederitis eis apta corpori, quę utilitas? Sic & fides, si opera non habeat, mortua est per se.

Simili aptissimo illustrat propositionem: Quemadmodum inanis oratio est, qua dicitur egenis, calescite & saturamini, ubi manus auxiliatrices nõ simul porriguntur: Ita fides inanis est & mortua, quæ in ore est sine fructu operis.

Obserua & hic Epitheton fidei (quam

inanem uocat.) Nam cùm dicitur MORTVA, confertur cadaueri, quarè non rectius fides dici meretur, quàm cadauer animalis animal dicitur. Hæc Catachresis satis ostendit Iacobum differere de opinione uana, quæ fides dicebatur ab hypocritis. Ex horum ergo hypothesi loquitur Apostolus, per concessionem rhetoricam.

Sed dicet aliquis, tu fidem habes & ego opera habeo, ostende mihi fidem ex operibus tuis, & ego ostendam tibi ex operibus meis fidem meam.

Alia ratio, quòd fides quæ suis fructibus destituitur, sit inanis, ac si dicat: aliquis pius tuam uanitatem, ô hypocrita, retundere posset, ita tibi obijciendo. Tu hypocrita fidem habes, ut tu dicis, (est enim ironica concessio) ego opera habeo, tu si potes, ostende mihi fidem tuam ex operibus tuis, quod sane non potes, quia nullam habes: ego ostendam

tibi

tibi fidem meam ex operibus meis. Proinde manifestum est tuam fidem, mortui instar cadaueris esse: meam autem uiuã esse, quod ex fructibus & eius uiuis motibus apparet. Quemadmodum enim spiritus intus in animali uigens, se prodit per motum & sensum & externas actiones; Ita uiua fides se per opera bona ostendit.

Est ergo ἀνταναπλασις in dictione FIDEI. Priori enim loco iactantiam fidei: Posteriori autem uiuam fiduciam significat. Quædam exemplaria græca, in priori membro sic habent: ostende mihi fidem tuam sine operibus. Sed retineo usitatam & receptam lectionem.

Tu credis quòd Deus est unus, rectè facis, & dæmonia credunt & exhorrescunt.

Cùm qualis sit hypocritarum fides, tum quàm sit inanis, adeóq; quòd non seruet, docet. Eorum ergo fidem tantum

esse noticiam historiæ, asserit, Credunt enim quòd Deus sit. Hanc inanem esse, hac ratione conuincit: Fides Dęmoniorum non saluat. Nam Dæmonia non saluantur. Iactantia hypocritarum est fides Dæmoniorum: nihil enim in se habet, quòd fides Dæmoniorum non habeat. Ergo iactantia hypocritarum, quam illi fidem falso esse dicunt, non saluat, proinde inanis est.

Cum autem Apostolus hoc loco, nō aliam fidē agnoscat in hypocritis, quàm in Diabolis, non mirum est, quod ei iustificationis uirtutem adimat.]

Verum FIDES in disputationibus Pauli qualis sit, docetur ad Rom. 4. proposito illustri exemplo, nimirum, quòd sit non solum noticia promissæ misericordiæ, uerumetiam fiducia, qua quis statuit promissionem ad se pertinere, cū qua coniuncta est, ut indiuiduus comes, gratitudo animi erga Deum, inuocatio, patientia, mortificatio ueteris hominis, excitatio noui spiritus & alij fructus iustitiæ

stitiæ fidei, qui fructus etsi non iustificāt, tamen ea est iustificantis fidei natura, quòd semper eos producat, aliàs minores, aliàs maiores, prout ipsa incrementa ceperit.

Vis nosse, ô homo inanis, quòd fides sine operib⁹ mortua sit. Abraham pater noster nonne ex operibus iustificatus est, oblato suo filio Isaac super altare? Vides quòd fides cooperata fuerit eius operibus, & ex operibus fides perfecta fuerit, atq; impleta fuerit scriptura, quæ dicit: Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad iustitiam, & amicus Dei uocatus est. Videtis igitur quod ex operibus iustificetur homo, & non fide tantum?

Summa huius rationis hæc est: Qualis fuit fides Abrahæ, talis & aliorum credentium esse debet. (nam is pater credentium ideo dicitur, quia credentes eius fidem imitari debeant) Sed Abra-

hæ fides habuit adiuncta opera (quod ex eo probatur, quòd tanti fecerit obedientiam erga Deum, quòd potius uoluerit unicum mactare filium, quàm Deo non obedire) Ergo & aliorũ fides opera adiuncta habere debet, quæ si non habuerit, merito inanis & mortua censenda est.

Hæc argumenti summa est: nunc uerba Apostoli perpendantur, quę à Sophistis contra gratuitam iustificationem torquentur.

Primum occurrit uerbum IVSTIFICATVS EST, quod idem est, ac si dixisset, iustus declaratus est, seu compertus est iustificatus fuisse. Atq; hoc ita esse tribus demonstrationibus probo.

PRIMA SVMITVR A SCOPO PRAESENTIS DISPVTATIONIS. Non enim instituit Iacobus disputationem de causis iustificationis, sed tantum ostendit ex quibus effectis iustificatio colligi &

gi & hominum oculis, quasi subijci possit.

Cùm igitur maximus sit error, ex effectis causas facere respectu eiusdem, nullo modo sunt ferendi, qui scopi disputationis & propositionis probandæ obliti, in sublime feruntur, & conantur Pauli doctrinam de gratuita iustificatione conuellere, cùm longè alius fuerit scopus Pauli, quàm Iacobi. Paulus enim causam iustificationis quærit: Iacobus eiusdem effecta. Paulus à causis ad effecta descendit: Iacobus contrà, ab effectis ad causas ascendit. Paulus quærit quomodò iustificemur: Iacobus quomodo iustificati esse declaremur. Paulus excludit opera, tanquam iustificationis causas: Iacobus includit eadem, ut iustificationis effecta. Paulus negat opera præcedere iustificandos: Iacobus affirmat opera sequi iustificatos. Cùm tantum sit discriminis inter consilium Pauli & Iacobi, quis non uideat Sophistarum uanitatem, qui A-

postolos sibi inuicem contrarios esse dicunt.

SECVNDA DEMONSTRATIO SVMITVR AB ORDINE CAVSARVM ET EFFECTVVM, Geneſis. 15. pronunciatur Abraham fide iuſtificatus eſſe. Credidit Abraham Deo, & imputatum eſt ei ad iuſtitiam. Verùm hoc contigit triginta ad minimum annis, antequam mandatū acciperet de offerendo filio ſuo Iſaac, Gene. 22. Quomodo ergo fieri poteſt ut eo opere iuſtificatus eſſe diceretur, quod fecit 30. anno, poſtquam diuina uoce iuſtificatus eſſe diceretur. Neceſſe eſt igitur iuſtificari apud Iacobum ſignificare iuſtificatum declarari.

TERTIA DEMONSTRATIO SVMITVR A VERBIS ANGELI, Gene. 22. Poſtq; mactare filium ad Dei mandatum propoſuiſſet Abrahā & à propoſito uocat angeli reuocatus eſſet, audit ab Angelo. Nūc cognoui, quod tu tímeas Deū, quia non pepercíſti filio tuo unigenito propter me. Quid, quæſo, hæc uerba aliud uolunt,

uolunt, quàm ipſam ſpontaneam obedientiam Abrahæ fuiſſe timoris Dei teſtimonium, & iuſtificationis Abrahæ declarationem quandam. Atq; ita breuiter dictum ſit, quid ſignificet iuſtificationis uocabulum, in hac Iacobi diſputatione.

Deinde cùm dicit fidem fuiſſe cooperatam operibus, FIDEI VIVAE naturam exprimit, nimirum quòd ſit efficax & fœcunda bonorum operum. Hanc naturam cum non habeat hypocritarum fides, nequaquam uera & uiua iudicanda eſt. Hoc igitur dictum Iacobi nihil aliud docet, quàm quod bona opera proficiſcantur ex fide.

Quod ſubiungit Iacobus: Ex operibus fides perfecta fuerit, non aliud eſt, quàm quod ex operibus fides Abrahę ſit declarata, non fuiſſe fucata & hypocritica, ſed uera & ſincera. Nā ſi perfectum hîc ſuis gradibus abſolutum dicas, nullus unq; mortalium perfectam habuit fidem.

Porrò cum dicit completā eſſe ſcriptu-

turam, quæ dicit: Credidit Abraham Deo & imputatum est ei ad iustitiam, id non ad causam, sed ad effectum referendum est. Nam eo facto declarauit Abraham, se uerè antea fide fuisse iustificatum. Istud ergo complere, ad experientiã hominum & non ad iudicium Dei referri debet.

Similiter autem & Rahab meretrix, annõ ex operibus iustificata est, cum excepisset nuncios, & alia uia emisisset?

Alio exemplo probat fidem ueram & uiuam, non esse sine operibus. Rahab se fide iustificatam declarauit facto uel operibus, quando nuncios populi Dei, à quibus edocta fuit, cum periculo uitæ suę dimisit, ne uenirent in manus eorum, qui eos quæsiuerunt.

Nam ueluti corpus absq; Spiritu mortuum est, sic & fides sine operibus mortua est.

Aptissima similitudine proposita ostendit fidem hypocritarum uanam esse, ut quæ sit instar cadaueris, in quo nullus spiri-

spiritus uiget, atq; ideo nec ullus motus, aut sensus animalis in eo deprehenditur. Atq; ita sex firmis rationibus obtinuit Iacobus, fidem ueram fœcundam esse bonorum operum, & fidem hypocritarum, quæ operibus destituitur, esse inanem iactantiam potius quàm fidem.

DECLARATIO DOCTRINAE DE POENITENTIA.

Cùm Christus Euangelium definit prædicationem pœnitentiæ & remissionis peccatorum in nomine suo: duo nobis proponit, quorum unum est beneficium, quod Euangelium offert, Alterum, modus quo beneficium hominib' applicatur. Beneficium quod offertur est remissio peccatorum. Modus est pœnitẽtia. Pœnitẽtes enĩ soli participes fiunt remissionis peccatorũ, cum qua coniuncta est iustificatio, salus & uita æterna.

Hinc facile patet, quòd nihil homini magis in hac uita necessarium sit, quàm intelligere qua in re sita sit salutа-

salutaris pœnitentia, sine qua nemini cõtingit remissio peccatorum. De hac ergo salutari pœnitentia dicam, atq; ita uerbo Dei & illustribus exemplis rem declarabo, ut nemo non agnoscat & ueritatem, & perspicuitatem.

FVNDAMENTVM itaq; prædicationis pœnitentię, absq; omni dubio est misericordia Dei & gratia, iuxta hæc dicta: Pœnitentiã agite, appropinquauit enim regnum Dei. Est autem REGNVM DEI, regnum gratiæ in quo Christus rex & pontifex dominatur, Iere. 36. Reuertatur unusquisq; à uia sua pessima, & propitius ero iniquitati & peccatis eorum. Item. Nolo mortem peccatoris, reuertimini & uenite. Item Reuertimini filij auertentes & sanabo auersiones uestras. Et Christus dicit. Non ueni in mundum uocatum iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.

Hæc testimonia satis conuincunt, quòd misericordia per Christum sit fundamentum prædicationis pœnitentię.

Est

Est enim absq; omni dubio hæc uox μετανοῦτε, seu, ut Prophetæ loquuntur, Conuertímini, non legis damnantis, sed Dei miserentis & offerentis salutem, uitam & absolutionem à damnatoria legis sententia. Quare nullum dubium est quin prædicatio pœnitentiæ sit pars concionis Euangelicæ, præsertim cùm constet legem prædicare peccatoribus pœnas æternas: & Christus resuscitatus à mortuis affirmat pœnitentiam & remissionem peccatorum in svo nomine prædicandam esse.

Verum quia duo sunt in homine quæ ipsum impediunt, quò minus sua mala uideat, & ad uocem Euangelij agat pœnitentiam & resipiscat: ignorantia & stupor. Vtriq; malo Dominus medetur. IGNORANTIAE enim nostræ, per legem occurrit. Nam per legis prædicationem deducit nos in cognitionem peccati, cuius nos pœnitere iubet Euangelium, quo saluemur. Per legem. Vt inquit, Paulus est agnitio peccati. STVPOREM

seu

seu ueternum excutit uarijs modis: proponit comminationes æternæ mortis, denunciat iram non resipiscentibus, pœnis corporalibus, morbis & alijs modis castigat impœnitentes, tragica exempla statuit ob oculos, ut Cain, Iudæ, Saulis, Achitophel & aliorum, quæ exempla Christus applicat ad omnes cum inquit: Nisi pœnitentiam egeritis, uos omnes similiter peribitis. Iram suam non raró uarijs in cœlo, terra, mariq; signis testatur, nunc peste, nunc bellis nos ad obediendum uoci Euangelij excitat: proponit mortem filij, quæ testatur de ira Dei in peccatores nisi resipiscant, Acto: 2. Christus, qui omnes oneratos & laborantes ad se uocat, ut conuersi per pœnitentiam ab onere suo leuentur, Legisperitũ non agnoscentem suum malum, ad legem mittit.

Pictura huius rei pulcherrima habetur, Luc: 15. In filio prodigo. Hic primùm fame pressus sentit suum malum. Deinde spes melioris fortunæ, si ad patrem

trem rediret, animum resipiscendi iuueni dedit. Nam paternæ clementiæ fiducia, ad quærendam reconciliationem erigitur. Hoc paradigma docet clarè, pœnitentiæ initium esse agnitionem diuinę misericordiæ, quæ nos ad bene sperandum excitat, qui nostra mala & pericula sentimus. Vt enim hic iuuenis fiducia paternæ clementiæ fretus redit ad patrem, postquam fame edoctus, sensit sua mala: ita nos fiducia misericordię in Christo redimus ad Deum, postquã legis prædicatione in cognitionem nostri deuenimus, & sensu maledictionis & iræ Dei stupore & ueternum excussimus.

Quæ autem sit salutaris & uera pœnitentia, & quibus constet partibus scripturæ testimonijs & exemplis ostẽdemus. Ieremias, inquit. Conuertimini ad me filij reuertentes & sanabo auersiones uestras. Item, Reuertatur unusquisq; à uia sua pessima & propitius ero iniquitati & peccatis uestris.

Hoc dictum duo continet, præceptũ

&

& promissionem. Præceptum est, ut reuertatur impius à uijs suis malis. Promissio est propitiationis & expiationis peccati. Hinc colligitur quod PŒNITENTIA sit conuersio hominis ad Deum, in qua cõuersione disceditur â malo, creditur ꝓmssioni propitiationis, & uitę nouę transigẽdæ, iuxta uoluntatẽ Dei fit meditatio. Manifestè proinde tres pœnitentię partes numerari debent, desertio peccati seu contritio, fides, & noua uita.

ADAM in peccatum lapsus tegit se foliis ex arbore desumtis, & suum malũ non sentit, nec adhuc promissionem de semine nouit. Verùm cum accusatur uoce Dei comminantis sibi mortem, agnoscit quidem peccatum, quod illi etiam uehementer displicuit. Vnde in Adamo extitit quidem μεταμέλεια, id est, displicentia facti, non autem μετάνοια, hoc est, uera resipiscentia. Verùm cum audit promissionem de uenturo semine mulieris, contrituro caput serpentis & abolituro peccatum: conuertitur ad Deum

uera

uera pœnitentia, dolet ob peccatum, fide promissionis se erigit, Deum inuocat, cauetq; ne rursus contra conscientiam Deum offendat.

David lapsus in adulterium, ueluti quodam ueterno consopitus, securus uixit. Verùm cùm à Propheta arguitur, incipit suum scelus deflere, & existunt in eo horrendi pauores, quales ipse in Psal: describit. Non est pax ossibus meis à conspectu peccatorum meorum: metuit enim æternas pœnas. Verùm audita hac Prophetæ uoce ex mandato Dei: Non morieris, Dominus abstulit peccatum tuum: conuertitur rursus ad Deum & resipiscit, odit peccatum, fide confugit ad misericordiam, dicens: Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam, promittit obedientiam in posterum. Os, inquit, meum annunciabit laudem tuam. Item: Docebo iniquos uias tuas, & peccatores ad te conuertentur.

In hoc etiam exemplo clarè uidemus

& quid sit conuersio & quodnam eius sit fundamentum, & quæ partes, huius modi sunt Manasses, Peccatricis, Latronis, Petri, Pauli exempla: quæ exempla cùm ad regulam accommodamus, clarissimè ueræ pœnitentiæ picturas nobis proponunt.

Verum quia doctrina pœnitentiæ est præcipua in Ecclesia, & ualde utile est de ea rectè erudiri homines, uolumus breuiter eius partes ut in nostris Ecclesijs ex uerbo Dei & illustribus exemplis docentur, definitionibus illustrare. Sunt autem partes ut supra dictum est, contritio, fides & noua obedientia.

Contritio non est displicentia facti qualis in Iuda fuit, sed est uera resipiscentiæ initium. videlicet, pauor conscientiæ ob peccatum, uerum peccati odium, & fuga peccati non sine spe ueniæ ut in prodigo filio apparet. Nam ueram resipiscentiam necesse est præcedere notitiam misericordiæ. Huc illud Ambrosij. Pœnitentiam nemo potest

agere,

agere, nisi qui sperat indulgentiã. Et illud Augustini. Non solum cùm agitur pœnitentia, uerumetiam ut agatur Dei misericordia necessaria est.

Fides est notícia, assensus, & expetitio promissæ misericordiæ, & in Christum mediatorem firma fiducia.

Hanc definitionem etsi superiora exempla & quartũ cap: ad Rom: confirmant, tamen plures rationes de proprietate fidei subijciamus. Christus pronunciat credentes saluos, ergo necesse est fidem significare fiduciam promissionis, cùm nemo sola notícia saluetur. Deinde Paulus hanc fidem nunc hypostasin, hoc est, firmam fiduciam, nunc πεποίθησιν, hoc est, fiduciam, qua quis sibi certo persuadet quod Deus & uelit & possit præstare quod promisit.

Hæc est ergo illa fides, qua sola absq; operibus legis, Apostolus Paulus contendit hominẽ iustificari corã Deo. Nã fides sola, qualem descripsimus, Christũ,

apprehendit atq; eum cum suis omnibus beneficijs possidet. De hac ergo iustificatione, quæ fit fide in Christum claram & illustrem doctrinam proponam, & breuiter errores refellam, quibus haec doctrina olim & nostro seculo obscurata est.

IVSTIFICATIO est hominis credentis in Christum absolutio à peccato, impuratio iustitiæ Christi, & acceptio iustificati ad uitam æternam, gratis propter Christum. In hac definitione quinq ueluti elementa sunt spectanda.

PRIMVM, fides qua recipitur oblata gratia, unde Paulus: Iustificamur fide. Est enim fides ueluti manus quædam, qua oblatum Christum cum sua obedientia recipimus, ut nostra sit iustitia.

SECVNDVM, emundatio seu absolutio à peccato, per expiationem facta per Iesum Christum: iuxta illud Iohannis: Sanguis Iesu Christi emundat nos ab omni iniquitate. Huc & illud Dauidis: Beati quorum remissæ sunt iniquitates.

tates. Item, Beatus cui Dominus non imputauit peccatum. Quid autem sit ABSOLVTIO, ex peccati definitione colligendum. Nam ut peccatum est defectus a lege & uoluntate Dei, cum obligatione ad mortem æternam & damnationem: Ita absolutio est liberatio hominis ab obligatione mortis & damnationis. Quod autem ista absolutio contingat credenti in Christum, multa testantur testimonia, Qui credit in filium, habet uitam æternam.

TERTIVM, imputatio iustitiæ Christi. Huius enim obedientia, mors, passio, resurrectio, materia & fundamentum est nostræ iustificationis. 2. Cor. 5. Eum qui non nouit peccatum fecit peccatum, ut nos fieremus iustitia Dei in ipso. Hanc iustitiam Dei, quam dicit nos fieri in ipso, definit Apostolus Rom. 5. cum ait: Quemadmodum per inobedientiã unius hominis, peccatores constituti sunt multi: Sic etiam per obedientiam unius iusti constituentur multi.

Est igitur Christiana iustitia obedientia Christi imputata credenti. Credenti enim in eum, qui iustificat impium, imputatur fides eius in iustitiam. Ex his sequitur & hoc, iustitiæ qualitatem esse in Christo, sed nobis imputari quod illi est proprium. Nam ad eum modum iusti sumus coram Deo, qualiter Christus fuit peccator. Vt enim is personam nostram quodāmodò susceperit, quo reus nostro nomine fieret, & tanquam peccator iudicaretur, non propriis sed alienis delictis, cum purus foret ipse & mundus ab omni culpa, pœnamq; subiret nobis non sibi debitam: Ita nos nunc iusti sumus in ipso, non quia operibus nostris satisfacimus iudicio Dei, sed quoniā censemur iusti Christi iustitia, quā fide sola induimus ut nostra fieret.

QVARTVM, acceptatio personæ ad vitam æternam. Nam hunc gradum ponit Paulus post iustificationem, Rom. 8. Quos iustificauit hos & glorificauit. huc dictum Domini. Qui credit in me,

non

non peribit, sed habebit uitam æternam.

QVINTVM, differentia GRATIS propter Christum, gratis quidem ut omnia humana merita excludantur: PROPTER CHRISTVM uero ut solum Αὐτόπον unigeniti filij Dei meritum adeò ingentis thesauri agnoscatur.

Etsi autem hæc nostra Ecclesiarum doctrina solidissimo uerbo Dei nititur: tamen alij atq; alij errores contra illam passim sparguntur. Sunt enim qui hanc hominis iustificationem collocãt in operibus ab hominibus factis; alij eam constare ex fide & bonis operibus simul contendunt, nonnulli essentialem quandam iustitiam stabilire conantur. Horum errores etsi confutant quæ diximus, tamen sigillatim de illis nonnihil dicemus.

Qui operibus hominem iustificari contendunt facilius refutari possunt, cum apertissima oracula Dei isti errori reclament. Dauid apertè clamat:

Domine ne intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis uiuens, & Paulus Rom. 3. propter hoc ex operibus legis, non iuſtificabitur omnis caro. Et ad Gal. Quotquot ex operibus legis ſunt, ſunt ſub maledictione. Item, Si iuſtitia eſt ex lege, Chriſtus fruſtra mortuus eſt. Eſt igitur illorum dogma manifeſtè falſum, qui hominem operibus iuſtificari, id eſt, iuſtos fieri, contendunt.

Verum ad huius iuſtificationis declarationem, agnoſcimus cum Iacobo opera bona requiri, ut arbor bona ex ſuis fructibus cognoſcatur, nec eſt ulla controuerſia inter Paulum & Iacobū. Nam cum Paulus dicit, hominem non iuſtificari operibus: ſignificat hominem non iuſtum fieri & ἀνέγκλητον coram Deo per opera. Verùm cum Iacobus dicit homines ex operibus iuſtificari, ſignificat homines iuſtos declarari per opera.

At eorum, qui fide & operibus ſimul conſtare dicunt iuſtitiā, qua coram Deo

iuſtifi-

iustificatur impius, speciosa magis est oratio. Dicunt enim fidem iustitiæ initium esse, & opera complementum. Quorum errorem confutat Sanctus Paulus his rationibus, Rom. 10. Testificor enim illis quod zelum Dei habent, sed non secundum scientiam, ignorantes enim Dei iustitiam, & propriam iustitiam quærentes stabilire, iustitiæ Dei non subiecti fuerunt. Finis enim legis Christus, in iustitiam omni credenti. Hîc Paulus reiectionis Iudæorum causam facit, quòd voluerunt suam iustitiam cum Dei iustitia coniungere, quæ est ex fide, ac ex utraq; coniuncta unam iustitiæ formam conflare.

Deinde Rom. 11. ita ratiocinatur. Si gratia, non amplius ex operibus, alioqui gratia non amplius est gratia. Si autem ex operibus non amplius gratia, alioqui opus non amplius est opus. Paulus primum hic duas ponit propositiones immediatè contrarias. Si ex operibus est electio, & salus, non est ex gratia. Si ex

gratia non est ex operibus, cùm debitum & donum ita repugnent, ut neutrum de altero, nec ambo de tertio rectè dici possint. Aut igitur fide sola iustificamur & saluamur, aut operibus, sed operibus nõ iustificari quenquam probant superius adducta testimonia.

Deinde si iustitia Christiana constaret fide & operibus simul, inepta esset argumentatio Pauli, Rom. 4. Operanti merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum, at credenti in eum qui iustificat impium, imputatur fides eius in iustitiam.

Hic Paulus duplicem iustitiam ponit, quarum una ab altera est diuersa. Nã habent contrarias causas. Fidei enim iustitia, qua iustificatur, credens imputatur & gratis donatur, sed operum iustitia non est gratuita. Praeterea, si una pars fidei, altera pars operibus tribuenda esset, in iustificatione hominis: duo sequerentur absurda. Vnum quòd promissio fieret incerta, quae debet

certa

certa esse. Alterum quòd Christi satisfactio non sufficeret nisi stabiliretur nostris operibus. Quare Augustini dictum complectimur, qui dicit. Gratia est nullo modo, nisi sit gratuita omni modo. Verum erroris Papistici occasio fuit imaginatio Philosophica, quæ non novit iustitiam, nisi quæ in nobis sit qualitas quædam. Non intelligit hominem imputatione alienæ iustitiæ iustificari posse.

Iam ad ESSENTIALEM iustitiam veniamus, de qua primùm sciendum est, quòd nullo pacto simus iusti coram Deo, iustitia Dei essentiali, nisi ratione efficientis causæ principalis. Nam formalis iustitia, qua nos coram Deo sumus iusti, non est aliud quam obedientia Christi, sicuti clarè docet Paulus Rom. 5. per obedientiam unius, iusti constituentur multi.

Est autem OBEDIENTIA CHRISTI duplex, crucis & legis. Obedientia crucis (qua humiliauit semetipsum

& factus est obediens usq; ad mortem crucis, Phil 3.) expiat Dominus peccatum nostrum. Obedientiam legis nobis imputat credentibus, ut ea iusti appareamus in conspectu Dei. Hanc Christi iustitiam seu obedientiam, dicit Paulus imputari credentibus: ergo non est in illis uel inhærens substantia, uel qualitas, qua formaliter homo fit iustus. Quare firmiter tenenda est hæc asseueratio, quòd iustitia Christiana est obedientia filij Dei imputata credenti.

Verùm interea & hoc tenendum est, quòd scriptura meminit triplicis iustitiæ hominis. Quarum una est fidei, qua consistimus coram Deo & hæc est perfecta, ut Christi obedientia est perfecta, nec minuitur nec augetur decremento uel incremento fidei. Nam hanc & Publicanus plenam habuit & Petrus, tamen Petri fides fuit multo illustrior.

Alia est incoatio obedientiæ, quæ & bonæ conscientiæ iustitia dicitur. Hæc non opponitur iræ Dei, quia non est perfe-

perfecta legis obedientia, est tamen necessaria, quia est fidei fructus proprius.

Alia est quæ expectatur adhuc, de qua ad Gala: 5. nos enim spiritu ex fide spem iustitiæ expectamus. & 1. Iohan: 3. Charissimi, filij Dei sumus, & non dum apparuit quid erimus, quoniam uidebimus eum sicuti est: & omnis qui habet hanc spem in eo, purificat se sicuti ipse est sanctus. Hæc proinde iustitia erit conformitas nostri cum Deo, habitatio Dei in nobis, plena fruitio Dei, absoluta dilectio. Et quanquam fatendum est corda credentium esse templa spiritus sancti, & Christus dicit: Iohan: 14. Si quis diligit me sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansionem apud ipsum faciemus: tamen non sequitur hanc habitationem Dei in nobis esse iustitiam, qua consistimus coram Deo, sed est præsentia diuina in nobis, per quam renouamur & consolationem sentimus, ac æternam uitam incoamus.

Præ-

Præterea si hîc homines iustificarentur iustitia essentiali, non esset discrimen inter iustitiam, qua in hac uita sumus iusti & eam qua conformes erimus Deo in omni æternitate. Sed Paulus manifestè discernit hanc ab illa. Nam fidei iustitiam dicit nos nunc in hac uita habere, sed expectare aliam iustitiam quam Iohan: definit conformitatem, qua Deo erimus conformes, quæ conformitas inde emanabit quod uidebimus eum sicut est.

Noua obedientia necessariò cum fide coniuncta est, nam regeneratio quæ à fide iustificante abesse non potest, necessario suos producit fructus, qui in noua obedientia conspiciuntur. Postquam enim homo per regenerationis gratiam factus est noua arbor, debet nouos, id est, bonos fructus edere, quos Paulus Phil: uocat fructus iustitiæ fidei. Iacobus ijsdem sua peculiari phrasi homines iustificari, hoc est, iustos agnosci seu declarari pronunciat.

Hæc

Hæc noua obedientia aliâs SANCTIFICATIO dicitur, quæ constat mortificatione & uiuificatione. Ita enim Paulus ait. Christus est nobis natus à Deo sapientia, iustitia, sanctificatio & redemtio. Sapientia nostra fit in prædicatione Euangelij, iustitia per expiationem peccati & imputationem iustitiæ, sanctificatio dum spiritum sanctum donat, qui naturam nostram quodãmodo conuertit, facitq; ut mortificato paulatim ueteri homine, spiritu uiuamus, hoc est, ut posthac pietati erga Deum, charitati erga proximum, sanctimoniæ uitæ ac diligentiæ in nostra uocatione studeamus, breuiter ut imperio spiritus nos totos committamus.

In quocunq; homine hæc regenerationis uis seu sanctificatio non sentitur, ibi nec fidē esse necesse est. Fides enī uera & salutaris spiritu feruet, & suos germanos fructus producere satagit, ac nihil magis in uotis habet, quàm spiritu Deū colere, & abundare omni cognitione & sensu.

Cùm

Cùm hæc reuerà iuſtificantis fidei & regenerationis proprietas eſt, quis poteſt ferre eorum uocem, qui totis uiribus, uoce & ſcriptis impugnant neceſſitatem bonorum operum, quæ ſane non dicimus neceſſaria, non quidem ut merita & cauſas ſalutis, nam immotum eſt illud Pauli dictum, Ephe: 2. Gratia eſtis ſaluati per fidem (& hoc non ex uobis, Dei donum) non ex operibus, ne quis glorietur, ſed ut neceſſariò comitantia fidem iuſtificam, & ut effecta regenerantis ſpiritus.

Porrò ut magis intelligatur BONORVM OPERVM ratio, ſex quæſtiones de bonis operibus ordine explicabo. Sunt autem hæ quæſtiones.

Prima, quæ opera docenda ſint & facienda.

Secunda, Quomodo fieri poſsint.

Tertia, Quomodo placeant.

Quarta, Quæ cauſæ bonorū operū.

Quinta, Cur promiſsiones ſint additæ bonis operibus.

Sex

Sexta, Quoniam omnes homines habent peccatum, merito quæritur, quorũ obedientia placeat & quorum non.

Cùm quæritur quæ opera docenda & facienda sint, duo perpendere oportet, qui nos simus, & quis ille cui per opera præstanda est obedientia.

Cùm nos intuemur considerata nostra corruptione, admonemur ne nos fingamus opera quibus Deum colere stamus. Per nos enim nequaquam intelligimus, quid uel placeat, uel displiceat Deo, & Dominus pronunciat se frustrà coli mandatis hominũ. Certò itaq; statuamus opera quantũuis speciosa, excogitata ab hominibus, nequaquam posse bonitationem habere.

At si Deum intuemur, monemur reuerentiæ erga illum, ex quo fit ut hoc solum illi placere cogitemus, quod ipse suo uerbo præscribit. Nam is solus est legislator noster. Vtrunq; complectitur Ezechiel, Cap. 20. In præceptis patrum uestrorum nolite incedere, nec iudicia

eorum custodiatis, nec Idolis eorum polluamini, Ego Dominus Deus uester, in præceptis meis ambulate, & iudicia mea custodite & facite ea.

Et Ezechiel. 33. Speculatorem dedi te domui Israel, audiens ergo ex ore meo sermonem annunciabis eis ex me. Hinc ergo manifestè sequitur, nec alia opera docenda, nec facienda esse, quàm quę nobis uerbo Dei commendantur.

Postquam mens pij hominis nouit, quænam opera sint facienda, mox quærit quomodo fieri possint. Ad hanc quæstionem ex duobus scripturæ dictis, petenda est solutio: Apostolus dicit ad Heb: sine fide impossibile est placere Deo. Et Christus dicit: Sine me nihil potestis facere.

Quarè hæc ordine requiruntur, Primum cognitio Christi. Secundo fiducia Christi. Tertiò uiuificatio, qua nos Christus per Euangelium uiuificat & effundit in nos Spiritum sanctum. Huc illud Esaiæ. 40. facit. Qui sperant in Domino

no mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquila, current & non laborabunt, & si laborabunt non deficient. Nulla enim dilectio, nulla obedientia esse potest, nisi prius apprehensa sit misericordia & reconciliatio propter mediatorem. In hac consolatione diuinitas habitat in corde. Quia æternus pater per filium consolantem uoce Euangelii, uerè est efficax, & datur à patre & filio Spiritus sanctus, accendens læticiam & inuocationem iuxta dicta: Effundam Spiritum gratiæ & precū. & in Iohan. Veniemus & mansionem apud eum faciemus.

2. Cor. 3. Intuentes gloriam Domini, transformamur ad eandem imaginem, hoc est, intuentes λόγον, qui est imago æterni patris & in consolatione ostēdit præsentiam & bonitatem Dei, efficimur similes eius imaginis, Spiritu sancto accendente corda.

Postquam mens edocta est, quomodò fieri possint bona opera, quærit præterea quomodò placeant. Frustrà

enim fiunt nisi placeant. Pugnat pro patria Scipio, pugnat & Dauid, sed non utriusq; opus placet Deo. Quare hic commodè quæritur, quomodo placeant bona opera. Ad quam quæstionem ingenere respondemus, quòd placeant in conuersis. Scipionis opera non placuerunt, quia non fuit conuersus. At Dauidis militia placuit, quia fide erat acceptus Dauid.

Verùm hìc tria ordine sunt spectanda. Primum statuendum est de persona, quòd sit fide reconciliata & iusta propter Christum gratis. Deinde fatendum est quod persona fide iustificata, non dum legi satisfacere possit. Nam hærent etiam in pijs multa interiora peccata.

Hæc immundicies deploranda est, & repugnandum dubitationibus & malis affectibus, & simul precandum ueris gemitibus cordis, ne Deus nobis has sordes quibus inuoluimur, imputet. Tertiò etsi has nostras sordes agnoscimus, nihilominus statuendum est, quod

&

& Deus postulet incoatam obedientiam, & quod placeat hæc incoata obedientia propter Christum. Sic enim Petrus clarè docet: Offerte hostias spirituales acceptas Deo propter Christum, qui & propitiator est & nunc pro nobis interpellat. Non ergo placet Deo obedientia nostra, propter suam dignitatem aut perfectionem. Est enim per se indigna ut prodeat in conspectum Dei, nec satisfacit legi, ut dictum est, sed placet propter personam reconciliatam, quæ propter Christum ut iusta habetur: Ita etiã placet, etsi circumferat in carne peccatũ & magnam infirmitatem.

Cùm constet hominem nequaquàm iustificari operibus, commodè etiam quæri potest. Quænam sint bonorum operũ causæ, quibus homines ad bene operandum accendi & impelli debent. Et numerantur tres causę grauissimę. Necessitas. Dignitas. Præmium.

Necessitas quintuplex statui potest. Mandati. Cultus. Detiti. Fidei retinendæ.

nendæ. Vitationis pœnarum, & conuersionis seu regenerationis.

Necessitas MANDATI est, quod Deus obedientiam erga suam legem serio & seuerè mandet. In præceptis, inquit, meis ambulate, & Paulus: Hæc est uoluntas Dei, sanctificatio uestra.

Necessitas DEBITI OFFICII indicatur, Rom: 8. Debitores sumus non carni sed Spiritui, non enim sumus nostri iuris, sed eius qui redemit nos suo sanguine. 1. Cor. 6.

Necessitas FIDEI RETINENDAE commendatur nobis à Paulo: Si quis, inquit, suorum & maximè domesticorũ curam non habet, fidem abnegauit & est infideli deterior. Et rursus: Milita militiam honestam, habens Fidem & bonam conscientiam, quarum neutra retinetur dum peccatis indulgetur.

Necessitas uitationis POENARVM, cõfirmatur Dauidis testimonio: propter iniquitatẽ, inquit, corripis filios hominũ.

Necessitas CONVERSIONIS hoc di-

cto

cto astruitur: Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Cum igitur fit conuersio simul uiuificatur homo fide, per Spiritum sanctum. Praeterea coniuncta est conuersioni regeneratio, quae est incoatio nouae uitae, noua lux, sapientia, iustitia & renouatio imaginis Dei in nobis.

Secunda causa est DIGNITAS, quae in hoc sita est, quòd homo cõuersus iã sit filius Dei, iuxta illud: Dedit potestatem ut filij Dei fierẽt, quotquot credunt in nomẽ eius. Quanta dignitas est, quòd credẽtes sint templũ Spiritus sancti uiuẽtis? quòd Christus in ipsis habitet per fidem? quòd Pater, Filius, & Spiritus sanctus ad illos ueníre, & in eis mansionẽ facere uelint? o Christi sint membra? Econtrà, perpende quantũ scelus sit, filios Dei imaginẽ hostis referre: quãtũ periculũ sit templũ Dei Satanae foetore cõspurcare: quàm immane sit Deum è suo hospitio exturbare. Quare filios Dei decet imitari patrẽ coelestẽ, q dicit; Sãcti estote, quia ego sanct-

sum. Hinc Paulus dicit nos uocatos ad sanctificationem, non ad immundiciem.

Tertia causa est PRAEMIVM, hoc est, compensatio patientiæ & obedientiæ credentium. Hoc quidem præmium non datur propter operis in se dignitatem, sed propter promissionem ex gratia.

Cum bona opera à pijs facta, sint & debita seruorum officia & imperfecta atq; contaminata: quæri potest cur Deus promissiones bonis operibus adiecerit. Et numerari possunt quinq; causæ.

PRIMA, ut sint testimonia prouidentiæ Dei. Vult enim sciri Deus & bona corporalia res esse ab ipso creatas & non casu spargi, sed ab ipso Ecclesiæ dari & conseruari iuxta dictum: Ipse est uita tua & longitudo dierum tuorũ, in diebus famis saturabuntur, diuites esurierunt, timenti autem Dominum non deerit ullum bonum.

SECVNDA, ut sint testimonia, quòd Deus uelit etiam in hac uita seruare Ecclesi-

clesiam. Quarè Paulus 1. Timoth. 4. inquit. Pietas habet promissiones præsentis uitæ & futuræ. Quia enim uult Deus immensa sua bonitate colligere Ecclesiam propter filium mediatorem, seruat hunc ordinē naturæ, fœcundat terram, ut alat Ecclesiam etiam in hac uita & cum propter Ecclesiam cæteros pascat, nos præcipuè gratos esse decet.

Tertia, Quia uult Deus & necessitatem corporalem esse commonefactionem de fide, inuocatione, spe, gratiarum actione: Ideò promissiones ædidit, & quidem uult hæc ipsa bona, fide peti & expectari, & in hac petitione & expectatione fidem, spem, patientiam crescere.

Quarta, Vt sint commonefactiones de promissione gratiæ, quia fidem, quæ agnoscit filium & accipit reconciliationem, oportet semper prælucere in petitione corporalium rerum, & quidem propter filium cæteræ promissiones ædiræ & ratæ sunt. Hæc omnia com-

prehenduntur in dicto: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis.

QVINTA, Quia Deus utrunq; uult sciri, & subiectam esse Ecclesiam cruci, & tamen inter ipsa pericula mirabiliter seruari in hac uita, ut uniuersa admiranda conseruatio Ecclesiæ & omnes mirandæ liberationes, sint testimonia præsentiæ Dei in Ecclesia, ut dicitur Num: 14. Vt sciant Ægyptij quòd tu Domine sis in hoc populo.

Iosuæ. 3. Scietis quòd Dominus Deus in medio uestri sit.

1. Reg. 17. Vt sciat omnis terra, quòd sit Deus in Israel.

Esaię. 37. Ecce nunc Dominus Deus, salua nos de manu Zenacherib, ut cognoscant omnia regna terræ, quòd tu solus sis Dominus.

Cum omnes homines habeant peccatum, rectè quæritur quorum obedientia placeat, quorum non.

Ad hanc quæstionem ita respondemus.

mus. Peccata sunt duplicia: quædam fiunt à scientibus & uolentibus contra conscientiam, qualia in credentibus non sunt. Nam si credens labitur contra conscientiam, excutit Spiritum sanctum, abijcit fidem & reus fit iræ Dei, & nisi agat pœnitentiam ruit in æternam pœnam. Præterea deficientes à fundamento, hoc est, aliquem articulum fidei abijcientes, siue eum intelligant, siue non intelligant decepti præstigijs Diaboli: desinunt esse sancti & excutiunt Spiritum sanctum & fiunt rei æternæ iræ, ut Cherinthus, Ebion, Arius, Fotin⁹ & similes hęretici.

Quædam peccata fiunt non contra conscientiam, ut caligo, dubitatio, multæ omissiones & uitiosi affectus, quibus malis sancti repugnant & credunt ea deleri propter mediatorem. Etsi autem hæc immundicies est in Sanctis, tamen placent propter filiũ, fide accipientes remissionem peccatorũ, iuxta illud: Beati quorum tecta sunt peccata, Et Paulus: Si actiones carnis Spiritu mortificetis, uiuetis.

Hæc

Hæc copiosius de salutari pœnitentia & eius partibus dicere uoluí, ut clarè à quouis uerę pœnitentiæ seu cõuersionis ad Deũ ratio intelligatur, ut ordo partiũ pœnitentiæ consideretur, ut quod cuiq; proprium est illi tribuatur, ut non confundamus partium proprietates, ut intelligamus gratuitam esse iustificationem & salutem, ut non spoliemus fidem suis proprietatibus. Breuiter, ut fide gratis propter Christum iustificati, Deo suam tribuamus gloriam & cultum, & exerceamus nos in omni genere bonorum operum, donec in hac uita nobis peregrinandum erit, quam sequetur plena redemtio per Christum unicum saluatorem nostrum, cui honor in secula seculorum,

AMEN.

CA-

CAPVT TERTIVM.

SVMMA CAPITIS TERTII.

QVemadmodum suadet ne quis temerè magisterij ius sibi uendicet, sed potius linguam suam refrenet: Ita sapientiam per conuersationem modestam probari postulat, potius quàm per contentionem & zelum, unde plurima mala proueniunt.

ORDO ET PARTES HVIVS CAPITIS.

Duæ sunt partes huius capitis Prior de non temerè affectando magisteriū in alios, sed potius refrenandā linguā esse. Altera de usu sapientiæ & donorum sine zelo & contentione. Vtraq; pars suis comprobatur rationibus.

EXEGESIS TERTII CAPITIS CVM OBSERVATIONE doctrinarum.

Nolite plures magistri fieri fratres mei.

Sensus

Sensus propositionis huius per se consideratæ est ambiguus, uerùm si ad rationes, quibus cõfirmatur propositio, quemadmodum necesse est fieri, restringitur, facilis est sensus. Cum ergo rationes omnes, quæ subijciuntur, petulantis linguæ incommoda continent, necesse est hic MAGISTROS accipere pro ijs, qui sibi ius censoriũ in alios sumunt, seuereq; & rigidè aliorum facta ad examen reuocant, ac interim propria uitia non cernunt.

Non damnat igitur hîc correptionẽ fraternam, quæ ex fide & charitate proficiscitur, quæ habet mandatum Christi & est fundamentũ disciplinæ Ecclesiasticæ, sed leuitatẽ, ambitionem & superbiã eorũ damnat, qui non tam ædificationem spectant, quam calumniandi & obtrectandi studiũ sectantur. Christus Matth. Vos nolite uocari Rabbi, unus enim est Magister uester Christus. Vos autem omnes fratres estis. Et patrem nolite uocare uobis in terra, unus enim est pater uester, qui in cœlis est &c. Si

Si quis contendit ex his, non licere, ut aliquis pius, magistri titulum aut doctoris sibi usurpet: ei obijcio appellationis paternæ prohibitionem. Nam non minus hîc prohibemur uocari patres, quàm magistri. Quare cũ patres uocari non simpliciter prohibetur, sed secundũ quid: ita nec simpliciter prohibemur uocari magistri, aut doctores. Sensus ergo hic spectandus est. Christus non moratur quo titulo uocaris, modo sub illius magisterio maneas, ac alas fraternã concordiã sine ambitione & aliorũ contemtu.

Paulus se uocat magistrũ & doctorem gentium, non tamen uiolauit hoc Christi mandatum, sed potius obtemperauit illi. Nam eò pertinebat ipsius magisteriũ, ut omnes subijceret imperio Christi. Qui ergo uel ex Iacobi uerbis, uel ex Domini interdicto damnant promotiones scholasticas, uim faciunt scripturæ, ac utilẽ reipub: literariæ administrationem labefactant. Absit ambitio, omnes subijciamus nos magisterio Christi, ac œconomiam scholasticã reuerẽter retineamus. Scie-

Scientes quod maius iudicium sumturi simus.

PRIMA ratio à pœna sumitur: Qui faciles sunt ad alios damnandos, qui tamen ipsi similibus uitijs laborant aut grauioribus, iram Dei in se prouocant. Nam cùm charitas operit peccatorum multitudinem, & ipsi libidine laborant peccata aliorum retegendi, satis declarant se charitate uacuos esse.

In multis enim labimur omnes.

SECVNDA ratio à communi imbecillitate sumta. Debet enim communis infirmitas & facilitas in lapsum, monere nos, ne rigidiores simus in alios.

Sunt autem LAPSVVM CAVSAE hæ præcipuæ. 1. Inhabitans peccatū. 2. Insidiæ Diaboli multiplices. 3. Exempli maximæ partis mundi, eaq; pessimi. 4. Negligentia in gubernatoribus morum & disciplinæ, ut in parentibus, ministris Euangelij & politicis rectoribus.

Si

Si quis in sermone non labitur, hic perfectus est uir, ut qui possit freno etiam moderari totum corpus.

TERTIA ratio ab utilitate frenatæ linguæ. Qui linguam suam moderari potest, perfectus est uir, id est, integer est, a-lijsq; multis uirtutibus prædítus. Ergo qui linguæ suæ petulanter indulget, nequaquam integer est, multis enim alijs uitijs est pollutus: proinde non temerè ius censendi aliorum mores captandum est.

Ecce equis frena in ora inijcimus, ut obediant nobis, & totum illorum corpus circumagimus. Ecce etiam naues cum tantæ sint, & à sæuis uentis pulsentur, circumaguntur a minimo gubernaculo, quocunq; Affectus dirigentis uoluerit: Ita & lingua pusillum est membrum & magna iactat.

QVARTA ratio similiter sumitur à cõtinentis linguæ utilitate & commodo.

Quemadmodum enim frenũ in os equi iniectum, totũ corpus equi circumagit, & ut gubernaculum nauis, nauem totam dirigit: Ita lingua continens magna iactat, id est, res magnas efficit, hominemq; totum quasi in perfectionis uiam deducit, cùm contrà, petulans lingua laxato freno & soluto gubernaculo persimilis est.

Ecce exiguus ignis quantam syluam incendit, & lingua ignis est & mundus iniquitatis. Sic, inquam, lingua cõstituta est in membris nostris, inquinans totũ corpus & inflammans rotam nativitatis & inflammatur à gehenna.

Quinta ratio ab incommodis linguæ effrenis & petulantis. Quemadmodum, inquit, ignis exiguus totam syluam incendio absumit: Ita exigua lingua multorum uitiorum ueluti incendium est, quæ tametsi est parua, mundus tamen est iniquitatis, hoc est, congeries & cumulus omnium scelerum. Vt itaq;

in

in exiguo igni, uis est inflammandi magnam syluam: ita in lingua parua, uis est inquinandi totum hominis corpus & inflammandi rotam natiuitatis, ubi ipsa prius inflammata fuerit à gehenna. Sed quid est rota natiuitatis & quid linguam inflammari à gehenna? Vt rota natiuitatis est ipse orbis conditus: ita inflammari à gehenna, est ab ipso Satana afflari linguam, quo fit idoneum flabellum omnibus malis in mundo excitandis. Huc illud Menandri:

ἡ γλῶσσα πολλῶν ἐστὶν αἰτία κακῶν.

Quàm uerum hoc sit, lingua Machomet & aliorum hæreticorum testatur.

Omnis enim natura ferarum & uolucrum, serpentum & marinorum, a natura humana domatur & domita est: linguam autem nullus hominum domare potest, ut quæ malum incohercibile est.

SEXTA ratio à comparatis sumta, Domari possunt feræ, uolucres & belluæ marinæ: Lingua autem effrenis & consuetudini obtrectandi assueta, nullo modo domari potest: Maximum igitur malum est. Proinde summopere cauendum, ne frena linguæ nimium laxentur.

Plena ueneno mortifero, per illam benedicimus Deum & patrem & per ipsam execramur homines ad similitudinem Dei factos. Ex eodem ore procedit benedictio & maledictio.

SEPTIMA ratio sumta à uenenatæ linguæ prodigiosa inconstantia. Hæc enim simulat se Deũ benedicere, sed mox eundem execratur in sua imagine, quo scelere quidnam potest esse maius?

Non oportet, fratres mei, hæc ita fieri.

OCTAVVM argumentum ab inconuenienti sumtum, non decet Christianos ista petulantia, quare in primis fugienda est.

An

An fons ex eodem foramine manat dulce & amarum? nunquid poteſt fratres mei, ficus oleas proferre, aut uitis ficus? Sic nullus fons ſaliam & dulcem gignere aquam.

NONA ratio ab impoſsibili. Quemadmodum impoſsibile eſt fontem ex eodem foramine, poſſe eijcere dulcem & amaram aquam. Neq; enim id magis fieri poteſt, quam ſi ficus oleas & uitis ficus proferre poſsit: Ita impoſsibile eſt, quòd ea lingua, quę maledicendi & obtrectandi morbo laborat, poſsit aliquid boni promere non uitiatum linguæ & cordis ueneno. Quarè cùm ita ſit, lingua benedicendi tantum ſtudio occupabitur, modo quis pius & inter filios cenſeri uelit. Proinde nemo temerè cenſendi ius ſibi uſurpet.

Quis ſapiens & intelligens inter uos? oſtendat ex honeſta cõuerſatione opera ſua in manſuetudine ſapientiæ.

Hactenus supercilium superborum censorum depressit, & firmis rationibus petulantiam linguæ refrenauit: Iam quia istud malum proueniebat ex sapientiæ opinione, ueram sapientiæ moderationẽ commendat, eiusq; usum in uita & conuersatione tradit. Estq; hæc propositio: Vera sapientia & scientia pollens, ostendat eam operibus honestæ & mansuetæ conuersationis, tanquam eius germanis & perpetuis fructibus.

Quòd si zelum amarum habeatis & cõtentionem in cordibus uestris, nolite gloriari & mendaces esse aduersus ueritatem.

PRIMA ratio propositionis à repugnantibus seu contrarijs effectis. Qui zelo amaro & contentionis libidine laborat, frustrà gloriatur se sapientem esse. Nam isti affectus praui cum natura sapientiæ ueræ, quæ honestatis & mansuetudinis amans est, pugnant.

Esse mendacem aduersus ueritatem hoc

hoc loco, est falsò sibi sapientiæ nomen usurpare.

Non est hæc sapientia supernè descendens, sed terrena, animalis, dæmoniaca.

Secvnda ratio à contrarijs causis. Sapientia cum qua amaritudo animi & contentionis libido sunt coniuncta, est terrena, animalis, Dæmoniaca: Ergo non est uera sapientia. Nam uera sapientia est cœlestis, spiritualis & diuina. Iacobus hoc loco non damnat Physicam sapientiam, quæ est bonum Dei donum per se, cuius nullam facit hic mentionem, sed prauos hominum affectus & inanem iactantiam diuinæ sapientiæ.

Vbi enim Zelus est & contentio, ibi seditio & omne opus prauum.

Tertia ratio ab incommodo zeli & contentionis, quæ inanem sapientiæ opinionem sectantur. Experientia satis conuincit, quod ubi homines zelo

amaro & contentionis libidine laborant, illis ad seditionem & omnia praua ianua esse apertam, id quod plus satis afflicta Germania hodie experitur.

Quæ autem supernè est sapientia, primū quidem pura est, deinde pacifica, moderata, tractabilis, plena misericordiæ & fructuum bonorū absq; diiudicatione & sine hypocrisi.

Quarta ratio ab adiacentibus, seu adiunctis ueræ & cœlestis sapientiæ. Hæc adiuncta antitheſi declarabimus. Terrena sapientia est affectibus corrupta: cœlestis pura & casta affectibus non uitiata. Terrena sapientia contentionis libidine laborat: cœlestis est pacifica, id est, studiosa pacis conciliandæ inter homines. Terrena sapientia est rigida & dura. cœlestis est moderata, cedit rigori. Terrena sapientia nemini uult cedere: cœlestis tractabilis est, & facile imperanti recta obtemperat. Terrena sapientia immisericors est; cœlestis est plena misericor-

cordia & bonis fructibus. Terrena sapientia personas accipit omissa causa: cœlestis est ἀδιάκριτος, id est, ἀπροσωπολήπτως, ut quæ minimè personas respicit, sed causas: Illa enim hypocrisin habet adiunctam: hæc caret omni hypocrisi.

Fructus autem iustitiæ in pace seminatur facientibus pacem.

QVINTA ratio à fructu, qui ad eos uenit, qui sapientia, atq; adeo alijs donis Dei pacificè ad ædificationem utuntur, & regulam catholicam de usu, non solũ sapientiæ, uerumetiam aliorum donorum tradit. Nam ut sapientia: ita & alijs donis, ueluti iustitiæ fructibus uultus nos uti pacificè in ædificationem.

Quod si fecerimus, iustitiæ nostræ fructus aliquando læti metemus.

CAPVT QVARTVM.

SVMMA CAPITIS QVARTI.

VT concupiſcentijs, unde lites naſcuntur, & humanis deſiderijs excluſis Deo adhæreant, potiuſq; in luctu, quàm inani mundi gaudio uiuant, hortatur: Ita ut abiecta mutua obtrectatione, nihil ſe temerè facturos præſumant, grauiter monet Apoſtolus.

ORDO ET PARTIS CAPITIS QVARTI.

Etſi unus ſcopus huius capitis eſt, ne quid auarè, fraudulenter & temerè agant fideles, ſuis indulgentes concupiſcentijs: tamen eius partes quatuor conſtituí, ut Prima ſit obiurgatoria dehortatio, à ſtudio priuatarum rerum per concupiſcentias, unde multa mala oriuntur, cui confirmatio adiungitur. Secunda, conſilium ſeu remedium aduerſus incendium concupiſcentiarum proponitur.

Tertia

Tertia, dissuasio est ab obtrectandi & damnandi alios libidine. Quarta, temeritatis præsumtionis in consilijs & rebus agendis correctio est.

EXEGESIS QVARTI CAPITIS, CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

Vnde bella & lites inter uos? nonne hinc ex uoluptatibus uestris, quæ militant in membris uestris?

Fontem omnis contentionis & mali inter homines monstrat esse cupiditates animi, quibus homines feruntur ad ea appetenda, quæ sibi grata & suauia esse iudicant. Cū uoluptates dicit militare in membris, respicit ad regnū peccati originis, quod tum dicitur Paulo Apostolo regnare, cùm ei per suas cōcupiscentias, quæ ueluti milites eius quidam sunt, obtēperamus. Has dicit militare in membris, quia membra corporis instrumenta sunt, quibus opus suū peccatū inhabitās peragit,

peragit, & quibus homines ad perpetranda scelera utuntur.

Res autem in summa sic se habet, CONCVPISCENTIAE FONS est peccatum originis. Concupiscentia passiua & inuoluntaria irritatur à peccato originis, idq; ministerio uel sensus uel complexionis, uel memoriæ. Voluntas in consensum commouetur, unde nascitur concupiscentia actiua & uoluntaria. Huic imperanti, iam membra corporis ad opus perpetrandum se accommodant & obsequium præstant, quod cùm fit, peccatum quidem originis regnare, Cõcupiscentię uero militare, dicuntur, tyranno peccato morem gerentes, & militia sua per membra corporis perfungentes.

Ne autem hoc fiat, prohibet Paulus cum inquit. Ne igitur regnet peccatum in uestro mortali corpore, ut ei obediatis per concupiscentias suas.

Concupiscitis & non habetis, inuidetis & æmulamini & non potestis obtinere, pugnatis & belligeramini, non tamen

tamen obtinetis, propterea quod non petitis & non accipitis, propterea quod male petitis, ut in uoluptates uestras insumatis.

Describit graphicè prauos motus & studia eorum, qui rei augendæ auarè dant operam, ut suis uoluptatibus prospiciatur. Concupiscunt enim res alienas, inuident habentibus, æmulantur, id est, studiosè affectant & pleno impetu feruntur, contentiones sectantur, ut per fas & nefas quæ cupiunt obtineant. Interdum etiam Deum precibus sollicitant, sed frustrà, quia malè petunt, quæ sibi in perniciem cederent, si acciperent. Videmus hîc quàm apte auarorum sollicitudinem pro rebus agendis describit. Pro φονεύετε omninò legendum est φθονεῖτε, ex cognatione uocum irrepsit error.

Adulteri & adulteræ, an nescitis quod amicitia huius mundi inimicitia est Dei. Quicunq; ergo uoluerit amicus esse mundi, inimicus Dei constituitur.

PRIMA

PRIMA propositionis ratio, qua cõfutat peruersam eorum opinionem, qui simul pij esse & sectari mundi uoluptates uoluerunt, id autem fieri posse, impossibile esse ostendit. Nam alia placent mundo, alia Deo & Deus & mundus contraria omnino imperant. Cum igitur unusquisq; aut amicus mundi erit & inimicus Dei: aut amicus Dei & inimicus mundi, par est, ut qui Christianus esse cupit, renunciet mundi amicitiæ, id est, concupiscentijs mundi prauis, & Deo adhæreat, eiq; obediat.

Locus hic congruit cum illo Christi: Nemo potest duobus dominis seruire. Hinc manifestum est, multos gloriari hodie de Christiano nomine, qui re ipsa sunt hostes Dei prophani, & abominabiles coram Deo. Ad Titũ 1. Deum profitentur se scire, sed factis negant, quia sunt abominabiles & contumaces, & ad omne opus bonum reprobi.

Postremo adulteros & adulteras hic uocat desertores Dei, ut qui Deo relicto,

cto, cui tanquàm marito prius adhæ-reant, alijs amatoribus adhæreant.

An putatis quod inaniter scriptura dicat? Ad inuidiam concupiscit Spiritus, qui habitat in uobis.

Probat inter mundum & Deum amicitiam non posse constare, idq; à scripturæ testimonio: quod testimonium etsi his uerbis non habetur in Bibliis, quoad sensum tamen attinet, sæpissimè occurrit. Congruit enim cum illo Genes: 6. Vidit Deus quòd figmentum cogitationum cordis hominis esset malum omni tempore. Et cum illo Genes: 8. Figmentum cor hominis malum à pueritia sua. His testimonijs significatur quòd homines non regenerati, toto impetu ferantur in malum, quod sanè cùm Deo optimo aduersetur, qui bona & uult & cogitat: non potest aliud fieri, quàm sit quædam mundi & Dei inimicitia.

Sed

Sed maiorem offert gratiam, propter
dicit: Deus ſuperbis reſiſtit, humili-
bus autem dat gratiam.

SECVNDA ratio ſumitur à præmio, Deus promiſit humilibus, id eſt, pauperibus ſpiritu, & mundi uanas concupiſcentias contemnentibus, gratiam, quæ potior eſt omnib⁹ mundi delitijs & diuitijs. Hanc ergo Chriſtiani quærant potius, quàm illam mundi gratiã & mundi uoluptates, quas ſectantur ſuperbi. Verum ut illis gratiam largitur: Ita his reſiſtit, ut acerrimus hoſtis.

Subijcite uos Deo, reſiſtite Diabolo, &
fugiet a uobis.

Iã tradit remedia contra malũ concupiſcẽtię. Subijcere ſe Deo, eſt Dei uerbi uitæ regulam ſibi proponere, ac ſe iuxta uerbũ ſubijcere in omni obedientia. Reſiſtere Diabolo eſt cõcupiſcentijs reluctari, quæ ſunt inſtrumentum Satanæ, per quod homines in exitium trahit. Hucadit

dit promissionem: Et fugiet a uobis, hoc est, uobis nihil nocebit, non euertet uos suis technis & dolis.

Appropinquate Deo, & appropinquabit uobis, emundate manus ō peccatores & purificate corda, duplices animo.

Mandat & promittit. Mandat ut Deo appropinquemus, scilicet, fide & uera obedientia. Vt enim à Deo recedere dicitur, qui mundi indulget concupiscentijs, per quas Diabolo appropinquat: Ita qui ab his recedit Deo appropinquare dicitur. Promittit cùm ait: Et appropinquabit uobis. Hæc promissio nititur perpetuo affectu Dei erga genus humanum, quo non uult mortem peccatoris. PECCATORES uocat hîc manifestam impietatem exercentes, & DVPLICES animo, qui uerbis se Deum colere dixerunt, & interea suas concupiscentias sectati sunt.

Affligimini & lugete & flete, risus ue-

ſter in luctum conuertatur & gaudi-
um in mœrorem.

Hoc opponit uoluptatibus eorum, qui ſuis concupiſcentijs indulgent & in ijs rident & lætantur. Decet enim pios, ut potius lugeant & affligantur, atq; ita pudefiant propter commiſſa ſcelera, ut demittant præ pudore uultum in terram, id enim ſignificat græca uox κατὰ φύσιν, qua hic uſus eſt Apoſtolus.

Submittite uos in conſpectu Domini & eriget uos.

Quia pij in mundo iacent contemti & ſpreti, animat eos Apoſtolus & iubet, ut maneant in ea ſubiectione, qua Deo ſubiecti ſunt in uero timore: & cõſolatur eos dum dicit fore, ut Deus aliquando ipſos erigat & abſtergat lacrymas à facie eorum. Erigendi enim uocabulo, ſignificatur conſolatio aduerſus præſentis uitę luctum & liberatio ab omnibus huius uitæ ærumnis.

Ne

Ne alij aduersus alios loquamini fratres. Qui loquitur contra fratrem & qui damnat fratrem suum, loquitur contra legem & damnat legem. Quod si damnas legem, non es factor legis, sed iudex.

Rursus linguæ petulantiam in accusandis & damnandis alijs reprimit, addita ratione firmissima à facti grauitate. Nemo debet loqui contra legem & eam damnare, qui loquitur contra fratrem, eumq; damnat, contra legem loquitur & eam damnat. Proinde nemo debet loqui contra fratrem suum, eumq; damnare. Minorem probat, quia qui legem damnat, non est obseruator legis sed iudex.

Est autem LEGEM DAMNARE, eius autoritatem reijcere, & sibi ius illud uendicare, quod est legis & ita rerum ordinem peruertere. Legis enim est normam uitæ præscribere & de factis iudicare. Hominis uero est se autoritati legis

subijcere, eamq; obseruare. Qui autem contrà facit, hoc est, qui sumit sibi censoriam potestatem in alios, quod legis est proprium, sibi sacrilegè arrogat.

Iacobus hoc loco loquitur contra eos tantum, qui ex peruerso iudicio contra fratres loquuntur, ut eorum bonam famam obscurent, & sibi sanctitatis opinionem concilient: non reprehendit eos, qui ex officio iudicant, modò legis autoritatem & regulam in iudicando sequantur. Qui enim hoc facit, non tam iudicare ipse, quàm Dei iudicium pronunciare dicendus est, id quod uidemus hic Iacobum aliquoties fecisse.

Vnus est legislator & iudex qui potest seruare & perdere, tu quis es, qui iudicas alium?

Quod Dei proprium est, nemo sine sacrilegio sibi usurpare potest. Dei proprium est legislatorem & iudicem esse, quod ex eo patet, quod solus potestatem seruandi & perdendi habeat. Ergo nemo sibi

sibi hoc ius usurpare potest, sine sacrilegio. Loquit & hic Iacobus, ut suprà monui, de temerario iudicio ex libidine obtrectandi orto.

> Age nunc quid dicitis: hodie & cras eamus in illam urbem, & transigamus Annum unum, & mercemur & lucremur (qui ignoratis quid cras futurum sit: quæ est enim uita uestra? uapor enim est, qui ad exiguum apparet & deinde euanescit) pro eo quòd dicere deberetis: Si Dominus uoluerit & uixerimus, faciemus hoc uel illud.

Hæc correctio est temerariæ presumtionis in consilijs de rebus agendis, & prescribit duas conditiones, quas in omnibus deliberationibus requirit. Prima est, ut uoluntati Dei locum faciamus, nihilq; tentemus sine ipsius imploratione. Huius cõditionis causa est quod uoluntas Dei pijs agendi regula esse debet. Altera conditio est, ut semper de uitæ no-

ſtræ fragilitate cogitemus, quæ cum inſtar uaporis eſt, ad exiguum tempus durantis: ſtultus eſt qui futura & incerta ſibi promittit.

Admonemur proinde hoc loco, ut ita in omnibus actionibus nos geramus, quò poſsimus eſſe parati, cùm nobis hinc migrandum erit.

Nunc autem gloriamini de arrogantia ueſtra. Omnis huiuſmodi gloriatio mala eſt.

Vnde iſta in rebus agendis præſumtio naſcitur, indicat: nempe ex arroganti gloriatione, quæ cùm ſit mala ſemper & fugienda: meritò eius quoq; proles fugienda eſt.

Igitur qui nouerit & non facit, peccatum eſt ei.

Hæc concluſio directa eſſet: Nemo igitur ex uana gloriatione debet temerè aliquid agendum ſibi proponere, quaſi euentus in ſuis manibus poſitus eſſet.

Verùm

Verùm in huius cõclusionis locum, substituit exagerationem eius peccati, quod reprehendit. Grauius peccat qui uolens & sciens peccat, quàm qui ex ignorantia delinquit. Quare excusari nõ potest, qui nouit quid faciendum sit & quomodo, non tamen facit.

CAPVT QVINTVM.

SVMMA CAPITIS QVINTI.

OBiurgatis diuitibus & pauperibus ad patientiam incitatis, ut temerarium iuramentum uetat & consilia laborantibus communicat: Ita mutuam erratorum ueniam, mutuas preces & diligentiam in reuocandis fratribus ab errore requirit.

ORDO ET PARTES CAPITIS QVINTI.

Huius capitis quinq; sunt partes. Prima, est obiurgatio diuitum. Secunda, exhortatio pauperũ ad patientiã. Tertia, temerarij iuramenti prohibitio. Quarta,

in uarijs casibus quid sit agendum, instructio. Quinta, mutuorum officiorum commendatio.

EXEGESIS QVINTI CAPITIS CVM OBSERVATIONE DOCTRINARVM.

Agite nunc diuites, flete ululantes super miserijs uestris, quæ superuenient.

Non omnes diuites compellat, sed eos tantũ, qui inhumani erant erga pauperes & suis diuitijs aut auarè abusi sunt, aut malè in delitias & uoluptates insumserunt. Cùm iubet illos flere, uult eos in memoriam reuocare miserias, quas olim suæ crudelitatis & auaritiæ causa luent. In his ergo uerbis hæc propositio continetur: Ne diuites abutantur suis diuitijs in proprium exitium.

Diuitiæ uestræ putrefactæ sunt, & uestimenta uestra tineis exesa sunt, au-

rum

rum & argentum uestrum ærugine uitiatum est, & ærugo eorum in testimonium uobis erit, & comedat carnes uestras sicut ignis, thesaurū coniecistis ultimis diebus.

Hæc Apostoli uerba tria continent. Primum, ex signo inexplebilem diuitum auaritiam Apostolus ostendit, qui potius suos thesauros in arca perire uolunt, quàm inde aliquid conferre ad supplendam miserorum inopiam. Secundò, crudelitatem eorum aduersus pauperes indicat, quos suis facultatibus fouere & iuuare deberent. Tertiò, pœnam illis minatur, ut qui sibi thesaurum iniquitatis auaritiæ & crudelitatis colligunt, in diem iræ qui olim igni infernali ita exedentur, id est, perpetuis flammis crucientur, quemadmodum nunc eorum thesaurus ærugine exeditur.

Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones uestras, a uobis intercepta clamat, & clamores eorum, qui messuerant, in aures Domini Zebaoth introierunt.

Iniustitiam diuitum negantium operarijs debitam mercedem accusat & minatur pœnam. Nam clamoris nomine significat iniuriam istam uelut personare in auribus domini & uindictam expetere.

In delitijs uixistis super terram & lasciuistis, enutristis corda uestra, ut in die mactationis.

Delitias, lasciuiam & indulgentiam, qua sibi dilicatè indulserunt diuites, reprehendit. Diem mactationis, diem dictum largioribus & delicatioribus conuiuijs uocat.

Condemnastis & occidistis iustum, qui non restitit uobis.

Hoc cùm ad crudelitatem in egenos referri potest, quos diuites dicuntur condemnasse & occidisse, cùm eorum inopiam sua non subleuauerunt copia, unde illud Augustini dictum: Si nō pauisti, occidisti: Tum ad rigidā exactionē, qua in iudicijs à suis debitoribus exegerūt debita & non soluentes seruitute oppresserūt.

De

DE DIVITIIS ET CONTRACTIBVS.

Cùm Iacobus hoc loco duriusculè uideatur aduersus diuites huius seculi agere, uisum est mihi operæpreciũ nonnulla de diuitijs & de contractibus, quæ facultatibus augẽdis seruiũt, huc adijcere, idq; in eũ finẽ ut pij admoneãtur, quatenus ipsis uti huiusmodi uitæ adminiculis liceat.

Cum itaq; pij quidam ex benedictione Domini diuitias adipiscũtur, & humana societas contractibus carere non possit, satis liquet quòd nec diuitias habere, nec cõtrahere per se sit peccatũ. Nequaq; enim putandũ est Euangeliũ, uel legitima humanę societatis uincula rũpere, uel subsidia necessaria tollere. Verũ qa in acquisitione diuitiarũ similiter & in possessione & usu sæpe peccatur, & multa in contractibus incidũt uitia, necesse est ut pi⁹ animus rectè informetur, quò sciat quaten⁹ sine offensione Dei & diuitias acquirere acquisitis q; uti, & quaten⁹ cõtractus usitatos excercere bona conscientia possit.

Omni-

Omnium igitur primùm constantissimè teneatur hæc Christi regula: Quærite primum regnum Dei & iustitiam Dei & cætera adijcientur uobis. Matth. 7. Hæc regula duo continet, uidelicet mandatum Christi & promissionem cũ obedientia erga mandatum coniunctam.

Mandatum est: Quærite primùm regnum Dei & iustitiam Dei. Huic mandato qui non obtemperauerit, ut Christi gratiæ non est particeps: Ita hæret in regno peccati, & seruit Satanæ, cui stipendium mors æterna reseruatur. Principem igitur locum obedientia erga hoc mandatum Christi obtineat, hoc est, cura nostrę salutis sit prima & præcipua.

Promissio est. Et cætera adijcientur uobis. Hæc promissio & fidem requirit, uidelicet, ut certo statuamus Christum esse ueracem, ac nostri curam habituũ, modò mandato obtemperauerimus: & tacitè postulat, ut quilibet ex fide, quæ sua uocatio requirit, gnauiter in timore Dei faciat, Ethnica & prophana sollicitudi-

tudine excluſa. Nequaquam enim exiſtimandum eſt quòd Chriſti promiſsio cõmendet nobis ignauiam.

Qui igitur fide Chriſti prædituſ eſt, ſciat partem pietatis eſſe, ſine qua fides ſalua eſſe non poteſt, officium ad quod quiſq; uocatus eſt, haud ſegniter facere. Huc illud Apoſtoli: Qui ſuorum curam non habet, fidem abiecit & eſt infideli deterior. Promiſsio proinde Chriſti ſanctã cuiusq; in ſua legitima uocatione diligentiam, ac ſerium requirit laborem.

Verùm ne quis hîc ſtatim ueluti in limine impingat, dubitetq; an ſua uocatio ſit legitima nec ne: Breuiter, attingam quid ad legitimam uocationem, ſeu functionem requiratur.

Duo in uniuerſum ſpectanda ſunt, uidelicet, genus officij & executio.

De genere tenenda eſt hæc regula. Omne officium faciens ad conſeruandos & ornandos ſtatus à Deo ordinatos, ut ſunt, politicus, œconomicus & eccleſiaſticus, primo & quarto præcepto mandatur,

datur munus ministrorum uerbi, functio magistratuum, ministeria eorum qui magistratui suas operas locant, cum patrumfamilias, artificia eorum, quorum opera in his statibus ordinatis à Deo utilis & necessaria est, negotiationes mercatorum, qui merces utiles important, breuiter, omnia officia quæ uel Ecclesiæ Dei uel œconomico aut politico ordini seruiunt, legitima sunt in se, & sunt legitima etiam in personis, cùm ad ea legitimè assumuntur.

Etsi autem cuilibet liberum est, eligere quoduis uitæ genus, ad quod se aptum senserit: tamen discernendum est inter publicum & priuatum officium.

Ad PVBLICVM requiritur autoritas ordinaria. Nemo enim publicum munus uel in Ecclesia, uel politia sibi assummat, nisi ad id autoritate ordinaria fuerit designatus, qui contrà facit peccat, & in cruce nullam firmam consolationẽ habere potest. Quarè hîc prius in primis cauebit ne irrumpat in publicum

aliquod munus, sine uocatione legitima.

Privatvm quilibet potest sibi deligere, etsi hîc parentũ autoritas contemni non debet. Potest mercaturæ animum adjcere, cui hoc uitæ genus placet: potest agriculturam sectari, qui hoc sibi commodum senserit: potest artem aliquam & artificium deligere, qui hoc sibi utile fore statuerit. Ociosa uita non est hominis pij sed Epicurei potius, quare de ea nihil dicam.

In executione officij seu muneris plura spectanda sunt. Primum fides & charitas sint actionum regulæ. Fides cauet ne Deum offendat, referetq; omnia ad gloriam Dei. Charitas monet ne cui iniuria inferatur & ut proximi commodis seruiatur. Fides Deũ συνέργον implorat. Charitas proximũ in Deo complectitur. Fides continet operantẽ in timore Dei. Charitas eundẽ cõtinet in amore proximi.

Hîc si laboranti in legitima uocatione diuitiæ accedũt ex benedictione Dñi, singularis ars adhibẽda est, ne nobis diuitiæ nostræ

nostræ propria culpa spinæ & laquei fiant. Qui enim diuites sunt, habent instrumenta ad uirtutes & uitia, prout animi eorum sunt, qui eas possident, affecti. Ideo Plato rectè meo iudicio dixit: Diuitias cæcas esse sine prudentia, at acutum easdem uidere, quando ueram sequuntur prudentiam. Verus est enim uersiculus ille Græcus.

πλοῦτος τάχιστος τῶν κακῶν ὑπερέτης.

Item: πλοῦτος ὑβριν τίκτει.

Atq; ea de causa Dominus dicit: Difficile esse diuitem intrare in regnum Dei. Pleriq; enim diuitijs utuntur malè, quibus bene uti possent, si piam prudentiam adhiberent in consilium. Primùm ergo omnium sciat pius, quomodò affectus esse debeat in diuitijs suis. Hoc pulchrè sciri potest cùm ex Dauidis, tum ex Pauli uerbis. Dauid inquit: Si affluunt diuitiæ, noli cor apponere. Paulus ait: pręcipe diuitibus in sęculo ne efferantur, neue sperent in diuitiarum incertitudine, sed in Deo uiuo.

Hæc

Hæc duo dicta, cùm de animo diuitijs, tum de usu concionantur. Animus non debet esse affixus diuitijs, aut cupiditati habendi, non debet pius metiri suã felicitatem fallaci diuitiarum mensura, sed ijs debet uti rectè, ne sibi ipse laqueos struat.

Nazanzenus pulcrè animum pij erga diuitias describit, inquiens:

Ῥᾳδίως φρενῶν μοι μᾶλλον ἢ βύθος τύχης,

Cùm contrà auarus & impius dicat:

Ἄλως τύχης σάλαγμον ἢ φρενῶν πίθον.

Pius præfert guttam prudentiæ fundo fortunæ: impius contrà fortunæ guttam dolio prudentiæ anteponit. Apud impios & auaros contemtores Dei, locum habet uersiculus græcus.

τὴν ἀρετὴν καὶ τὴν σοφίαν νικᾶν πλοῦτος.

Illi enim sapientiam & uirtutem ponunt numis. Quicunq; ergo pius esse uult, abijciat fiduciam diuitiarum, ne sibi in laqueos uertantur, ne sibi interclu-

dant aditum regni cœlorum. Sit spes firma in solo Deo siue augeantur siue minuantur, aut etiam omnino auferantur fortunæ, retineamus uerum thesaurum, qui est Christus Iesus. Qui enim hunc habet, uerè diues est, etiamsi cum Lazaro mendicet panem.

Porro cum ita affectus fuerit animus tuus erga diuitias, hęc cura animum subibit, ut rectè dispenses diuitias tibi collatas à Deo, utq; sis fidelis œconomus earum. Quare huc pauca adijciam, de legitima earum usu.

Ischomachus apud Xenophontem interrogatus, de legitimo diuitiarum usu, hisce respondet uerbis: μέλει μοι καὶ θεοὺς μεγαλείως τιμᾶν, καὶ φίλους ἤν τινος δεωνται ἐποφελεῖν, καὶ τὴν πόλιν μηδὲν κατ' ἐμὲ χρήμασι ἀκόσμητον εἶναι. Hic homo ignarus ueræ religionis, triplicē usum diuitiarum facit. Primam partem tribuit cultui diuino. Secundam amicis indigentibus. Tertiam conseruationi & ornamento reipub: in qua uiuit.

Etsi

Etsi autem hæc prophani Philosophi sententia de usu diuitiarum, laudanda est & digna est quæ pijs sit commendanda: tamen destinctius paulo & clarius ostendam pium & uerum facultatum & diuitiarum usum, qui in quatuor positus est.

Primvs et principalis diuitiarum usus esse debet, ut seruiant conseruandæ religioni ac propagandę glorię Dei. Hic usus confirmatur ex fine hominis. Homo primum conditus est & deinde regenitus per Spiritum sanctum, ut Deum glorificet. Ergo quicquid donorum habemus, ad istū conditionis nostrę & reparationis finem referendum est.

Hic miserè inescati multi peccant. Sunt enim qui nihil prorsus conferunt adconseruandum ministerium, sunt qui rapiunt sceleratè, quæ cultui diuino destinata sunt, à maioribus nostris. Sunt qui diuitijs suis augent potentiam tyrannorum, ad opprimendam Ecclesiam & abolendam religionem, quibus præstaret si nunquam nati fuissent. Nam

illorum portio erit cum Diabolo, cuius membra sunt.

Pius ergo cui contigêre facultates in hoc mundo, intueatur finem conditionis suæ, & partem suarum facultatũ conferat in hunc usum, ut Dei gloriam omnem ac religionem ueram tueatur.

Proponat sibi exempla piorum hominum, ut Dauidis, Iosiæ, Ezechiæ, Constantini, Theodosij, Iohannis Frederici ducis Saxoniæ, Christiani Tertij regis Daniæ, & aliorum principum & piorum hominum, qui nihil magis in uotis habuerunt, quàm pro ratione facultatum ornare gloriam Dei, iuuare doctes & discentes religionem, conseruare scholas & scholarum honesta priuilegia, defendere doctores pietatis contra sæuitiã & iniuriam hominum nec̃ꝑ, quibus nihil dulcius est, quàm uarias artes & uias excogitare, quibus opprimere possũt docentes & discentes, quorũ hominum uicẽ toto pectore doleo. Nã reproba sua mẽte magis magisq; se immergũt in gehennã,

Secun-

gitimus diuitiarum esse debet, ut eas res-publicas in quibus uiuimus iuuemus & ornemus, pro nostrarum facultatum modulo. Hanc ob causam tributa impo-nuntur, ut illis tanquam neruis continea-tur respublica, hoc est, ut sint ornamen-ta pacis, subsidia belli legitimi, præmia eorum qui rempub: administrant.

Verùm hîc non parum peccatur à duobus generibus hominum: Sunt enim qui tametsi abundant facultatibus, splen-dore & gloria, pacis tempore: tamen cùm aliquid erogandum est in usum reipub. hoc uafrè reijciunt in miseram plebecu-lam, quę cogitur ultra uires & facultates conferre quæ petuntur.

Hîc etsi plebecula misera rectè ob-temperat: tamen ἐφευρέται κακῶν (ita enī à Paulo uocantur) suo iudicio reseruan-tur. Sunt etiam fortè, qui non contenti ordinarijs redditibus, nouas exactiones subditis imponunt, qui testimonio Io-annis Baptistæ damnantur, ut qui fru-

ctus pœnitentię non proferant. Christus dicit: Date Cæsari quæ Cæsaris, & quæ Dei Deo. Sed Cæsar sciat sibi regulã esse certam, quam leges illi præscribunt. Contra hanc si peccauerit reus fit iræ Dei.

At, inquies, nunquam ne ergo licet magistratui, præter ordinariam taxam aliquid à suis exigere? Discernendum est inter tempora pacis & belli. Tempore pacis sit contentus ordinario stipendio, ne in Deum peccet: tempore belli subditi non solum facultates, uerumetiam corpora debent gerenti iustum bellum, & potest pius magistratus & tributa insueta exigere, & operam ciuium aduersus hostes postulare. Possunt etiã necessitates illi incidere tẽpore pacis, ut magistratui non sufficiant ordinaria præmia. Hoc cùm fit, debent pij subditi necessitatibus præsentibus occurrere, & licet pio magistratui accessionem iustam petere. Verum qui inde paulatim consuetudinẽ introducunt opprimendi subditos, tanquam infideles sua expectabunt supplicia

à iusto iudice, qui nouit etiam ceruices superborum & tyrannorum incuruare.

TERTIVS VSVS RECTVS ET LEgitimus diuitiarum est, ut quilibet se pro suæ conditionis statu honestè alat, suam familiã conseruet. Sed cauenda sunt duo uitia, sordes & prodigalitas. Sordes sunt indignæ pio homine. Prodigalitas effundit temerè facultates, sæpe in splendorẽ minimè conuenientem statui.

Quarè hîc modus, qui in omni re laudatur, seruandus est. Honestus ergo ciuis potest τὸ πρέπον sui status tueri suis facultatibus, caueat ne in alienum splendorem irrumpat, relinquat nobilitati suum decus. Sic honestus nobilis tueatur suum statum, & relinquat principibus suam magnificentiam. Ad eundẽ modum Doctores pietatis in scholis & templis, tueantur modestè suum statum. Breuiter, quilibet cogitet quid suæ personæ & conditioni congruat.

QVARTVS ET POSTREMVS VSVS rectus & legitimus diuitiarũ esse debet,

ut afficiamur etiam calamitate egenorũ, ac certo certius hoc teneamus, quòd Deus permittat esse pauperes & egenos in medio nostri, ut exploret & qua simus erga ipsius mandatum obediendi promptitudine, ipse enim mandat ut porrigamus manum indigentibus: & qua simus misericordia erga filij Dei membra, quæ si contemnimus caput etiam spernimus: Ferri enim non potest, ut caput diligat, qui corpus cruciat. Sed de hoc usu posteà plura.

DE CONTRACTIBVS.

Cum ita conditi sint homines, ut in societate eos uiuere necesse sit, atq; ea ipsorum sit conditio, ut sine mutuis operibus & officijs, suum statum tueri non possint: opus profectò habet humana uita contractibus, quibus operarum & officiorum fit comutatio quædam & uicissitudo. Nec magis contractuum subsidio carere potest hominum inter se societas, quàm aqua & igni. Quare cùm

pri

pijs & impijs contractuum uti solent uicissitudine, & non parum in contrahentibus plerunq; uitio hominum peccatur: necessarium est erudiri pios, quò sciant quatenus bona conscientia & sine offensione Dei contrahere liceat, ne quid uel dubitante, uel errante, uel repugnante cõscientia aggrediantur.

Etsi autem doctrina contractuũ plena & absoluta pertinet ad iureconsultos, qui ex professo de contractibus sapientissimè docent: tamen quia sæpe conscientijs non satisfaciant politicæ regulæ, uolo breuem quandam commonefactionem colligere, quam tutò pius animus in contrahendo sequi poterit. Primũ itaq; duo fundamenta iaciam, ex quibus quæ sum dicturus, pendebunt omnia. Deinde genera præcipuorum contractuum declarabo, & ostendam quomodo fundamentis congruant.

Fundamentum PRIMVM sit hoc, ex lege naturæ petitum: QVOD TIBI NON VIS, ALTERI NE FECERIS. & contrà,

quod tibi rectè uis, alteri facere poteris. Nazanzenus hisce senarijs hoc fundamentum effert.

ὅτα πρὸς ἀλλȣ μὴ παθεῖν, ὅλως θέλεις,
τοιαῦτα καὶ σὺ μητε δρᾶν ἀλλῳ θέλε.

Super hoc fundamento Christus omnia officia inter homines, atq; adeo omnes actiones & contractus extrui uult. Ita enim Mat. 7. ait. Omnia quæcunq; uolueritis ut faciant uobis homines, sic & uos facite ipsis. Rationem huius fundamenti subijcit. Hæc, inquit, est lex & Prophetæ, id est, hic est scopus legis & Prophetarum, seu quicquid præcipiunt lex & Prophetæ, hoc communi capite continetur. & Paulus ait: Qui proximum diligit, legem impleuit. Itē, finis præcepti est charitas, significans omnia officia inter homines ad charitatē tanquam Lidium lapidem probanda & examinanda esse. Hæc charitas ut non facit alteri, quod sibi non uult: ita rectè facit cuilibet quod sibi factum uellet.

Hoc

Hoc fundamentum ut in omni contractu requirit candorem & excludit fraudem, ita postulat æqualitatem inter contrahentes, iuxta proportionem Arithmeticã: quę ęqualiter omnẽ commutationem mensurat, numerat, ponderat.

Contractus igitur qui hoc fundamẽto nititur, æqualis & legitimus censendus est. Aequalis quidem, quia seruatur in eo Arithmetica proportio. Legitimus uero, quia legi naturali congruit, quam sapiens iurisconsultus in contractuum doctrina, sibi ob oculos ponit. Vnde fit ut Legitimum etiam dicatur, quod uel lege positiua uel sapientum uirorum decreto sancitum sit, non pugnans cum decalogo, qui legis naturæ est epitome.

SECVNDVM fundamentum sit hoc, ex natura Euangelij sumtum. Euangeliũ approbat politicas ordinationes, quas prudens magistratus iudicat suæ reipub: utiles esse. Hoc ex eo patet, quòd Apostoli Christi nunquam mutârint formam politi-

politicarum ordinationum, ubi docuerunt Euangelium: quod sanè haud dubiè feciſſent, ſi cum Euangelio ſtare non poſſent. Sciuerunt Apoſtoli diſcernendum inter regna mundi & regnum Chriſti. Illa quia ſunt mundana, adminiſtrantur legibus & ordinationibus politicis, hoc, quia eſt ſpirituale, ſpiritualiter adminiſtratur.

Ex hoc fundamẽto ſequitur, quòd ut pius poſsit uti ordinationibus politicis eius reipub. in qua uiuit: ita magiſtratui ſapienti liceat utiles ſuæ reipub: leges ferre, quibus gubernantur contractus, & uitæ ciuilis officia. Verùm hæc ita accipi uelim, ut à primo fundamento & decalogo non diſcedat legiſlator, hoc eſt, ut nullam legem ferat pugnantem cũ dilectione Dei & charitate erga proximos.

Hæc duo fundamenta uolo omnibus contractibus applicari, tanquam conſultationes, ex quibus pronunciabitur, quoties de ullo contractu fiat quæſtio.

Gene-

Genera autem contractuũ ciuilium, de quibus nos constituimus hoc loco uerba facere, sunt hæc:

1. Permutatio rerum.
2. Emtio & uenditio.
3. Mutuatio.
4. Commodatio.
5. Locatio & conductio.
6. Contractus societatis.

Si qui sunt alij contractus, petantur ex sapientum Iurisconsultorũ scriptis, quos tutò sequi poterit pius animus, nisi animaduerterit eos esse contra dilectionem Dei & charitatem erga proximum.

Sunt qui duo contractuum genera summa faciunt: unum quo transfertur Dominium rei cum usu: alterum quo solus usus rei conceditur. Aristoteles tripertitam permutationem esse docuit: primã qua res rebus, secundam qua res pecunijs, tertiam qua pecuniæ pecunijs commutantur. Fateor utrancq; partitionem eruditam & plenam esse. Ego tamen hanc uulgarem quam posui antepono alijs,

alijs, non quòd sit plenior aut doctior, sed quòd magis accedat ad popularem captum & sit usitatior. Quare iurisconsultis & Philosophis cùm illam bipertitam, tum Aristotelis tripertitam disputandam relinquo, dicturus ordine de sex illis formis quas proposui.

DE PERMVTATIONE RERVM.

Permutatio rerũ ante inuentam pecuniã usitatissima & utilissima fuit, sine qua humana societas conseruari non potuit. Sed inuento usu pecuniæ, non ita apud omnes est usitata. Fit autem permutatio rerum, cùm res non pecunijs, sed rebus permutantur. Vt cum uinum frumento, aut pelles butyro permutantur.

Hæc permutatio tum demum legitima est, quando non discedit ab illis duobus fundamentis, quæ omni honesto contractui substrauimus. Seruanda igitur est in permutatione rerum æqualitas sine fraude.

Potest

Poteſt autem hîc fraus committi multipliciter, ſed potiſsimum tribus modis, uidelicet, in ſubſtantia, in quantitate, & in qualitate. In ſubſtantia, ſi uinum dilutum pro mero uino, ſi frumentum zizanijs aut lolijs admixtis, pro bono datur. In quantitate, ſi ponderis, menſuræ & numeri non ſeruatur æqualitas. In qualitate, cùm res uitiatæ & corruptæ pro puris & integris obtruduntur. Quicunq; in his fraudem committit, ut fundamenta iuſtitiæ ſubruit: ita ſi ſciens ac uolens hoc faciat, peccat in Deum, charitatis regulam tranſgreditur, & uiolatæ humanæ ſocietatis fit reus.

Homines multi ſibi ipſis blandiuntur, ac ueluti ſe titillant, quando in rerum permutatione fraudem faciunt, ſed his uſu uenit, quod piſcibus, qui cum eſca hamum deuorant. Lucrum enim dulce eſt, ſed hamo Satanæ detenti, pœnam non effugient.

Quid autẽ belli homines contra hæc fortè dicent, non ignoro. Habent enim

uafri

uafri homines mille artes, quibus seipsos fallunt & non Deum, qui æquitatem charitate sincera temperatam postulat.

DE EMTIONE ET VENDITIONE.

Emtio & uenditio propriè dicuntur, quoties res non rebus, sed pecuniis permutantur. Hæc contrahendi ratio non antiquissima, nec uulgatissima. Nam & primis hominibus ignota fuit, & hodie multis gentibus non est in usu. Sed est tantum necessitate humanæ uitæ inducta apud multos, unde & numus nomen habet, dicitur enim numus quasi νόμος, nam hominum arbitrio, instituto ac lege usum suum habet & ualorem sæpe.

In hoc contractu, qui transfert rem in alterius dominium accepta pecunia, uendit: & res quæ transfertur est Merx. Contrà, qui data pecunia mercem accipit, Emere dicitur. Hîc non tam spectandum est, quid in se ualeat numus, sed autoritas publica & usus seu arbitrium.

Valet

Valet enim numus lege potius quàm natura. Proinde æqualitas non est hîc spectanda in substantia numi, sed in usu numi.

Hîc contractus iuxta fundamenta suprà iacta, requirit inter ementem & uendentem æqualitatem sine fraude. Qui hîc sciens & uolens circumuenit in negotio fratrem, contra Pauli præceptum, iustitiæ commutatiuæ æqualitatem perturbauit. Quare magnopere cauendũ est pijs, ne uel in merce, uel in precio fraudem committant. Merx talis dicatur à uenditore qualis est, aut saltem qualis putatur esse, sine dolo malo. Deinde precium iustum respondeat, ut seruetur proportio Arithmetica.

Sed hîc non immeritò quæri potest, quodnam sit iustum precium. Ad hoc ita simpliciter respondeo. Non omne precium esse iustum, quod paciscuntur emtor & uenditor inter se priuato arbitrio: sed quod uel à rerum iustis & publicis à magistratu ordinatis æstimatoribus nomi-

natur, uel quod penditur iuxta communem rei æstimationem, eo tempore quo initur contractus. Qui ergo hodie emit frumenti modium, iuxta communem precium tribus solidis, is poterit postea interiecto tempore, eundem uendere sex solidis, si hoc tum fuerit commune precium. Contrà, si post menses aliquot uno solido emitur uulgò, peccat qui tres petit, etiamsi ipse tribus emerat. Nam hic temporis & loci habenda ratio est, & rerum quæ uenduntur cópia & penuria consideranda.

Verùm hîc tria genera hominum grauissimè peccant, ut sunt protopolæ, monopolę, & propolæ, qui uulgò regratarij dicuntur.

Protopolas uoco eos, qui primũ rebus suo priuato arbitrio imponunt preciũ, ut suæ auaritiæ satisfiat. In horum numero sunt, qui butyro, bobus, uino, frumento, aut alijs rebus ex prouentu redditũ suorũ abundant. Ab his dũ alij opus habẽtes emturi sunt, coguntur uelint nolint, tantum

tum dare, quantũ petitur: unde sæpe contingit, ut uenditor frumenti, aut aliarũ rerũ, non dum precio publicè stabilitou, endat quàm carissimè. Huius exemplum cùm alij, qui etiã huiusmodi rebus abundãt, imitãtur, fit ut modius qui forte alioq emi posset duobus solidis, uẽdatur octo.

At dices, merx mea est, cur non licet uendere ut possũ? emtor liber est, potest emere uel non emere, quid ergo pecco? Peccatum tuũ maximum est. Pallies illud quouis uelis titulo, nam non tã in tuum emtorem peccas, quàm in totã rempublicam, quam peius uulneras, quã si latrocinio eã inuaderes. Tua enim auaritia fit, ut multi miseria ac fame tabescãt. Qui in unũ hominem iniuriosus est, pœnas meretur æternas, quid de te statuendum, qui tot familias fame enecas, aut saltem facis, ut in maiori miseria uiuant?

Poteris te excusare coram tribunali hominum, sed Deus non moratur astutas subterfugia, nec fallitur peruersa legis suæ interpretatione. Ipsius enim

tribunal iustum est, ut quod personam non respiciat. Peccant etiam sępe hîc emtores, fit enim interdum ut carius emant, uel propter dilatam solutionem, uel ut magnorum hominum, à quibus emunt, fauorem aucupentur, ut lucrum, quod ex rebus emtis minimè speratur, aliunde resarciatur.

Hîc plura dicenda essent, sed hæc intelligentibus sufficiant, parum enim spero me effecturum apud eos, qui cum Aiace pietatem colunt. Aiax uoluit pius in Deum uideri, donec nihil sensit postulari, quod pugnaret cum suis affectibus: at cùm Vlysi mandaretur parcere, respondit, χαίρειν ἀθάνατα, τ'ἄλλ' ἐγώ σ' ἐφίεμαι. In alijs, inquit, tibi morem geram, non autem in hac re.

Huiusmodi est hodie plerorunq; religio, pietatis cultores esse uolunt, dum modò nihil descedat suis affectibus, quibus omninò uolunt satisfieri, uel Deo irato. Quid, quæso, magis horrendum, quàm mandatum Dei suis affectibus

postpo-

postponere? Sed satis est, isti enim nos non sunt audituri.

Quæstio de pacto redimendi, soluitur ex Leuitico, ubi Dominus suo populo ius redimendi commendat. Verùm tum demum hunc contractum approbandū iudico, quando cum fundamento suprà tradito non pugnat: Quod tibi non uis fieri, alteri ne feceris. Hoc solo fundamẽto conscientia pij hominis, ut in omnibus; ita in contractu, ubi interponitur pactum de redimendo, nitì tutò poterit.

DE MVTVATIONE.

Mutuum ab eo dicitur, quod de meo fit tuum, uel quia res quæ reddūtur mutantur, ut si sal pro sale, uinum pro uino, pecunia pro pecunia reddatur, hoc est, ubi eadem non numero, sed specie redduntur. Proinde mutuatio est contractus, quo transfertur rei dominium in alterum, nullo quidem precio interposito, sed cum pacto, ut eadem res reddatur in specie.

Sunt autem hîc pijs duo ſpectanda, æqualitas & obligatio. Aequalitas, ſi æquali numero, menſura & pondere reddideris, quod accepiſti, ſine fraude, fraus excludit uitiũ in ſubſtãtia, quantitate & qualitate rei. Huc pertinet præceptũ Heſiodi,

ἐν μ' μετρεῖσθε παρὰ γείτονος, ἐν δ' ἀποδοῦναι
ἀντῷ τῷ μέτρῳ, καὶ λωΐον αἴκε δύνηαι,

Hoc eſt,

Recta quidem menſura à uicino mutuum accipe, rectaq; redde eadem menſura, & amplius ſi quidem poſsis. Quod autem dicit, & amplius ſiquidem poſsis, ad gratitudinem pertinebit, etſi Poeta aliam cauſam facit, uidelicet hanc,

ὡς ἂν χρηίζων ἐς ὕστερον ἄρκιον εὕρῃς.

Hoc eſt, ut inuenias promtum uicinum ad mutuandum, ſi aliàs indigeas.

Obligatio duplex obſeruetur, naturalis & Chriſtiana. NATVRALIS eſt qua lege naturæ obligamur, ad mutuò dandum ijs, qui noſtra re indigẽt. De hac obligatione iutelligatur, præceptum Heſiodi, CHRISTIANA obligatio eſt qua

ſuos

suos obligat Dominus ad mutuum dan-
dũ omnibus indigentibus, hoc est, nõ so-
lũ ijs, à quibus speramus, τὰ ἴσα, id est,
æqualia, sed etiam à quibus simile officiũ
minimè expectari potest. Date mutuò,
inquit, nihil inde sperantes.

Hic nequaquam loquitur Christus,
de liberali donatione aut Eleemosyna,
sed de mutuatione, qua obligatur qui ac-
cepit mutuum, ut idem in genere seu spe-
cie, sine fraude restituat. Opponitur autẽ
hoc Christi mandatum, usitatæ malitiæ
Iudæorum, & deprauationi legis Mo-
saicæ. Lex iubet mutuum dare, uerùm
Iudæi dictum acceperunt cum exceptio-
ne hac. Date mutuum, non quidem pro-
miscuè omnibus indigentibus, sed ijs
solummodò à quibus simile officium
expectari potest.

Hunc errorem, & corruptelam le-
gis diuinæ corrigit Dominus, & præ-
cipit suis, ut non solùm dent mutuò ijs,
qui simile officium reddere possunt,
Verumetiam alijs, nempe ijs à quibus

nunquam aliquod simile officium expectamus.

Hoc illustremus aliquo exemplo: Piscator aliquis abs te mutuum petit, tu autem cogitas, quòd is uicissim tibi uel in simili, uel alio officij genere, aliquando commodus esse possit. Huic si mutuum dederis, cum expectatione analogi officij, nihil peccasti. Quid enim peccat, qui pro beneficio expectat gratitudinem? Venit alius indigens, cuius conditio talis est, ut ab eo nihil quicquam officij expectare possis. Huic si non dederis mutuum, regulam Christi transgressus es, secutus potius prauam Ethnicorum consuetudinem, quàm Christi mandatũ, qua re te declaras Christi uocem contemnere.

Non ergo Christus hîc præcipit, ut quod dedisti non speres reddendum, sicut quidam insulsè hoc dictum interpretantur, nam tum nequaquam Mutuum diceretur, sed eleemosyna potius: sed ad personas respicit, uidelicet, ut pij mutuũ etiam

etiam eos iuuent, à quibus nihil commodi aut officij uicissim expectant. Hanc meam interpretationem confirmant circumstantiæ loci. Nam in eo loco, Dominus corruptelas Pharisaicas corrigit, quibus illi legem Dei malitiosè suis affectibus seruientes corruperant.

Præceptum de mutuo dando, interpretabantur, sicut suprà etiam attigi, hoc pacto: Da mutuò, sed ei qui uicissim tibi indigenti poterit mutuum dare, aut alio officio beneficium compensare & gratitudinẽ ostendere. Hanc restrictionem tollit Christus hoc fundamento: Si benefeceritis ijs, qui uobis benefaciunt, qualis erit uobis gratia? & si mutuò dederitis, à quibus speratis uos recepturos, quæ gratia erit uobis? Nam & peccatores peccatoribus dant mutuum, ut recipiant paria, hoc est, ut ipsis aliâs paria officia præstentur, idq; uel in specie uel in genere.

Summa igitur præcepti Christi est, ut non solum mutuũ demus ijs qui possunt

uicem rependere, uerumetiam alijs, à quibus uidelicet, nullam expectamus beneficij præstiti compensationem.

Huc pertinet dictum Psal: 112. Bene uiro qui miseretur & mutuò dat. Hic Psal: inter fructus timoris Domini, officium mutuandi numerat. Etsi autem impij quoq; dant interdum mutuò, tamen diligenter discernendum est, inter mutuationem impiorum & piorum.

Impij tantum respiciunt suum commodum, pij autem hæc ordine meditantur. Primum ad Dei mandatum respiciunt, quòd se obligari nôrunt, atq; ideo hilari animo & promta uoluntate dant mutuô, quia Deus præcepit, & iudicant mutuationis officium, quo succurritur egentibus esse opus necessarium, & cultum, quem Deus serio à suis requirit.

Deinde fidem adhibent pij, qua intuentur promissionem Dei, qui promittit compensationem huius obedientiæ,

tiæ, ſicut inquit Pſal: Beatus vir qui timet Dominum &c. Item, quis habitabit in tabernaculo tuo: qui operatur iuſtitiam.

Præterea pij conſiderant obiecta, perpendunt Chriſti membra eſſe, qui ſuum officium requirunt. Quare & illis dant mutuò, ut Chriſti membra refocillent.

His differentijs diſtinguitur mutuatio pij ab impij, qui tantum ſe ſpectat & ſua commoda.

DE VSVRA.

Mutuationem fieri duobus modis, uel ipſa teſtatur experientia. Alias enim fit cum pacto, ut tantundem ſeruato æquali pondere, menſura, numero, quantum acceptum eſt reddatur, & nihil ultra. De quo mutuationis genere, hactenus à nobis dictum eſt. Alias fit cum pacto, ut aliquid ultra ſortem, quam

quam uocant, pro mutuationis officio detur. Hic excessus in uitio est, præsertim cùm accedit propter officiū mutuationis, iure diuino & naturali, proximo debitū. Et usura uocatur ex eo, quòd propter usum rei cuiuslibet sorti accedat.

Neq; enim existimandum est, usuram solummodò locum habere in pecuniarū mutuatione. Nam in omnium rerū mutuatione, usura dicitur, quod ultra id quod acceptum est, datur pro debito mutuationis officio. Quemadmodum lex aperte indicat, & Ambrosius testatur cum inquit: Esca usura est, & uestis usura est, & quod uelis ei nomen imponas, usura est.

Debitum autem mutuationis officium dico, ad quod ita obligamur iure diuino & naturali, ut nisi mutuò dederimus petenti & reuerà indigenti, peccemus in Deum, & charitatem proximo debitam uiolemus.

Etsi autem ex ijs quę de mutuatione dicta sunt, utcūq; intelligi potest, quid de usuris

usuris sit iudicandum: tamen clarioris institutionis gratia, nonnulla huc DE VSVRIS adjicere opræpreciũ uidetur. Vt autem iustus sit huius tractationis ordo, hæc ordine persequemur.

Primum, indicabimus quæ sint usuræ prohibitiones, & quæ prohibitionum causæ.

Deinde, usurariorum pœnas notabimus, ut pœnarum cogitatio auaritiam usurariorum nonnihil coherceat.

Tum inuestigabimus, an sit ullus contractus, usuræ ex parte similis, non interdictus lege Dei. Et si sit talis aliquis, quatenus pius bona conscientia & sine offensione Dei, illum exercere possit.

Adhæc, admonitiones quasdam colligemus, ad quas tanquam ad consultationes quasdam & consilij capiundi normas, utile fuerit in omni contractuum genere & negotiorum respicere.

Postremo, monebimus quomodo œconomi mysteriorum Dei, hoc est, præcones Euangelij, in re usuraria se gerant:

gerant: ut nec communicent alienis peccatis, nec aliquid quod in destructionem uergit attentent.

DE PRIMO.

Vsuræ prohibitiones sunt quatuor, quas si piè & serio inspexerimus, luce clarius perspiciemus, quid de hoc uniuerso usurario negotio iudicandum sit. Quare illas distinctè & ordine recitabo.

Prima naturalis dicitur. Aristoteles enim, facile Philosophorũ princeps, usuram contra naturam esse docet, hoc motus argumento. Pecunia natura non potest parere. Ergo usuram ex pecunia capere, pugnat cum natura. Atq; hac de causa usura Græcis dici putatur τόκος, à pariendo, quasi quidam pecuniæ partus, ut uel ipsa appellatione sit infamis. Aristophanes usurã beluam uocat, quæ temporis progressu argentum semper numerosiore fœtura progeneret.

Plato etiam usuram de sua ejicit re-

pub:

pub: Ita enim ait in quinto de legibus: liceat, si qs in fœnus acceperit, nec τόκον nec ἀφάλαιον, id est, nec usuram, nec sortẽ reddere. Hæc Platonis prohibitio nititur naturali principio, uidelicet, quòd quicquid legi naturæ de mutua charitate aduersetur & causa existat ruinæ familiarum & politiarum, quas conseruare natura iubet, sit in ciuitate minimè ferendum.

Plutarchus ex hoc principio usuram contra naturam esse concludit: Ex nihilo nihil fit. Cicero usuram homicidio confert. Proinde, ut hoc, ita & illam cum natura pugnare manifestum est.

Adhæc, inæqualitas in contrahendo naturæ aduersatur. Nam eius opus est naturæ destructio. Lucrum igitur quod pro debito mutuationis officio soluitur, contra naturam erit. Nam manifestè inæqualitatem parit.

Postremò cum societas ciuilis maxime sit secundũ naturam, erit profectò

usura

usura naturæ inimica, ut quæ humanam societatem labefactat.

Secvnda prohibitio diuina est. Moses enim, Prophetæ & Psalmi, usuram prohibent & damnant. Prohibitionis causa in pleriſq; locis diſertè additur, uidelicet, ne usuris opprimatur proximus.

Exodi 22. Si pecuniam mutuò dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes.

Leuit: 25. Pecuniam tuam non dabis ei ad usuram, & frugum superabundantiam non exiges. Præcepti causa præmittit, ut uiuere possit frater tuus apud te, uidelicet, non oppressus usuris.

Deut: 23. Non fœneraberis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, sed alieno: fratri autem tuo absq; usura, id quo indiget commodabis, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus, in omni opere tuo. Loquitur & hîc Moses de usura opprimente

mente proximum. Nam ex textu Hebraico ita potest reddi. Alienum mordebis usura, fratrem autem tuum non mordebis.

Ezechi: 18. Is qui ad usuram non dederit, & amplius non acceperit, hic iustus est & uita uiuet. Hinc ex contrario sensu sequitur, eum iniustum esse & moriturum, qui ad usuram dederit & amplius acceperit.

Psalmo 15. dicitur habitaturus in tabernaculo Domini, qui pecuniam suã non dederit ad usuram.

Quòd etiã hic Psalmus loquatur de usura mordente & opprimente proximum, manifestum est. Nam Psalmus utitur uocabulo NESEC, quod à morsu nomen habet. Deinde non est dubium, quin hîc prohibeatur usura, quæ ante in Mose fuit interdicta, nempe mordens & opprimens proximum. Prophetæ enim nullam nouam doctrinam adferunt, sed tantum Mosis sunt interpretes.

TERTIA prohibitio est Politica.

Apud antiquissimos enim Romanos, nullus erat modus, nulla permissio, sed publica execratio & punitio usuræ. Sed procedente tempore, dum simul cum imperio & diuitijs cupiditas & luxus augerentur, cœperunt paulatim usuræ, & subinde auctiores factę sunt, donec in seditionem & discordiam res usuraria venerit. Quã ob causam rerũpublicarũ moderatores, quia usuras nõ poterãt penitus abolere, legibus represserunt quantum potuerunt.

Ciuitas Athenienſis demãdauit Soloni, ut usuras quibus Athenienses fere oppressi erant, moderaretur. Nã cum seditio propter fœneratorum crudelitatẽ orta esset, qui cogebant debitorum filios & filias sibi in seruitutẽ adduci, aut uendi, ut usuræ numerarentur: Solon petentibus ciuibus primã tulit legẽ, ne deinceps liceret ullum liberũ corpus propter debita aut usuras in seruitutem trahi. Et hunc modum usurarum instituit Solon, ne plus peteretur quàm centesima, id est, tan-

tanta quæ centesimo mense æquat sortẽ, hoc est, de centum aureis singulis mensibus aureus unus.

Verùm Imperatores uetuerunt recipi centesimas usuras, nisi in traiectitijs, in alijs autẽ licitis negociationibus bessem centesimæ permiserunt, hoc est, de centũ aureis in singulos annos, aureos octo. Illustribus autem quolibet contractu, nõ supra trientem centesimæ, hoc est, in singulos annos ex aureis centum, aureos quatuor, sed uulgò semissis centesimæ est permissa, hoc est, in annos singulos ex centum aureis aurei sex.

Hæc moderatio imperatorum imprimis laudanda est, quę & usurariorum iniustam exactionem repressit, & cauit ne immodicis usuris exhaurirentur priuatorum facultates.

Qvarta prohibitio Ecclesiastica est. Voco autem Ecclesiasticam prohibitionẽ non Papæ, quẽ nec caput, nec caudam Ecclesiæ agnoscimus, sed sanctarum

Synodorum decreta, quibus usuræ graviter sunt prohibitæ. Præterea etiam sanctorũ Patrũ pronunciata contra usurã.

In Decretis 47. fit mentio canonũ Apostolicorũ, in quibus usura damnatur.

Synodus Nicena, in qua fuerunt Patres 318. etiam damnauit usuras.

Et Gratianus, contra Clericorum usuram, hæc ex Decretis concilij Nicæni asscripsit. Quoniam multi Clerici auritiæ causa, turpia lucra sectantes, obliti sunt diuini præcepti quo dictum est: Qui pecuniam suam non dedit ad usuram, statuit hoc sanctum concilium, ut si quis inuentus fuerit post hanc definitionem usuras accipere, uel ex quolibet tali negocio turpia lucra sectari &c. deijciatur a Clero, & alienus habeatur ab Ecclesiastico gradu.

Hieronymus dicit: Vsuras quærere, uel fraudare, uel rapere, nihil interesse. Commoda fratri tuo & accipe quod dedisti & nihil superfluum quæras, quia superabundantia in usura computatur.

Augu-

Augustinus: Quid dicam de usuris, quas etiam ipsę leges & iudices reddi iubent? an crudelior est qui subtrahit aliquid, uel eripit diuiti, quàm qui trucidat pauperem fœnore? hæc utiq; atq; huiusmodi malè utiq; possidentur. Et uellem ut restituerentur. Sed non est quo iudice repetentur. Iam uerò prudenter intueamur, quid scriptum est: Fideli homini totus mundus diuitiæ sunt, infideli autẽ nec obulus. Nonne omnes qui sibi uidẽtur gaudere conquisitis, eisq; uti nesciũt, alienum possidere conuincimus? Hoc enim certè alienum non est, quod iure possidetur. Hoc autem iure possidetur, quod iustè. Et hoc iustè, quod bene. Omne igitur quod male possidetur, alienum est. Hæc Augustus:

Ambrosius: Cur in fraudem conuertis naturæ industriam? cur affectas inopiam? cur optari facis pauperibus sterilitatem, fles publicam fertilitatem. Exploras quando sterilior prouentus. Hanc uocas industriam, quę est callíditatis uersutia,

ſutia, & quod tu remedium uocas, eſt commentum nequitiæ. Latrocinium autẽ fœnus appellem, (captantur tanquam Latrocinij tempora, quibus in uiſcera hominum durus inſidiator obrepas.) cui conditæ frugis multiplicatur uſura: quid imprecaris mala omnibus? lucrum tuum damnum publicum eſt.

Idem alibi: Sine ferro dimicat, qui uſuras exigit: ſine gladio ſe de hoſte ulciſcitur, qui fuerit uſurarius exactor.

Chryſoſtomus: Mutuò da, ampliores cape uſuras, mutuò da accepturus ſolicet, ubi nulla inuidia, nulla accuſatio, inſidiatio, neq; terror. Mutua nulla indigenti, ſed Chriſto & propter te neceſsitatem habenti, eſurienti, & omnes nutrienti. Hæ enim uſuræ regnum, illę gehennam præparant: hæ ſunt pietatis & miſericordiæ, illæ crudelitatis & auaritiæ.

Idem alibi: Nihil uſuris turpius, nihil crudelius. Alienas hic negotiatur miſerias & lucrum ſuum alterius aduerſitatem facit. Talis eſt, quaſi manum

num ſuſcipiens & in naufragium impellens.

Idem alibi: Similis eſt pecunia uſurarij morſui Aſpidis. Percuſſus enim ab aſpide quaſi delectatus, uadit in ſomnum & per ſuauitatem ſoporis moritur, quia tum uenenum latenter per omnia membra decurrit. Sic qui ſub uſura accipit, ſub tempore quaſi beneficium ſentit, ſed uſura per omnes ſuas facultates decurrit, & totum conuertit in debitum.

Lactantius: Pecuniam ſi quam crediderit, non accipiat uſuram ut & beneficium incolume ſit, quod ſuccurrit neceſſitate & abſtineat ſe prorſus alieno. In hoc enim genere officij, debet ſuo eſſe contentus, quem oporteat alias ne proprio quidem parcere, ut bonum faciat. Plus autem accipere, quàm dederit, iniuſtum eſt. Quod qui facit inſidiatur quodammodo, ut ex alterius neceſsitate prædetur.

Bernhardus: Quid eſt uſura? uenenti

patrimonij. Quid est usura legalis? latro prædicens quod intendit. (s: rapere)

Lutherus grauissimè in usurarios inuehitur, cuius scripta, quia in manibus sunt plerorumq; , nolo huc quicquam ex illis asscribere.

Hactenus de prohibitionibus usurę causis prohibitionum diximus, ex quibus omnibus hæc sententia concluditur: Quòd usuræ ideò prohibeantur, ne illis læ datur proximus, ne uioletur inter homines charitas, ne societas humana turbetur, ne exhauriantur priuatorũ facultates, in ruinam familiarũ & rerumpublicarum. Quoties igitur legimus usuras prohibitas esse, hos fines interdicti aspiciamus, ne temerè, aut nimis acerbè prætextu prohibitæ usuræ, iudicemus de contractibus quos approbant leges.

DE SECVNDO.

Pœnam usurariorum triplicem esse inuenio: nempe politicam, spiritualem & Ecclesiasticam.

Poli-

Politica poena iuxta uetera Romana iura, teste Catone fuit, ut fœneratores punirentur quadruplo, fures tantū duplo. Hac sane sententia in usurarios, satis declarârunt ueteres, se fœneratores peiores iudicare & nocentiores, quam uulgares fures. Atq; ob hanc causam à dignitatibus & muneribus publicis, tā quam indigni arcebantur.

Sed tanta hodie est, proh dolor, morum Christianorum corruptio, ut qui apud prophanas gentes infames & furibus deteriores habiti sunt, nunc summis honoribus, idq; apud Christianos, digni iudicentur. Memini puer, quando duo tantum in hoc regno erāt fœneratores uulgò noti: quorum unus plebeius in Chersoneso Cimbrica habitauit. Hic tametsi ex usuris ditissimus erat, tamen ad eam inopiam post eius fata, redacti sunt liberi quos reliquit, quòd filiam quandā eius, in hac urbe uiderimus non solum lacera & sordida uestę, eaq; uix tegente eas corporis partes, quas natura iubet

tegi: Verumetiam obeuntem, in multorum conſpectu, ſordidiſsimum miniſterium, quo tamen ſe à mendicitate uindicare non potuit. Alter fuit ex familia meliori, cui non exiguę ex hæreditate facultates ceſſerant. Hic ad uſuras, inſtigante auri ſacra fame, animum applicat, ac paulatim ita cumulat uſurarium lucrum, ut ditiſsimus pecuniarum reddatur. Sed quid hîc fit? iniuſtè cumulatæ opes partim ceſſerunt fiſco Regio, neſcio quas ob cauſas: partim adhuc ſeruiunt gulæ & luxui. Vnde facile eſt diuinare, qualis futurus ſit exitus, niſi maturè, qui de illis adhuc opibus gaudent, reſipiſcant.

Sed, inquies, quid hæc ad politicam pœnam? maximè, per omnem modum. Eſt enim hic ordo iuſtitię Dei, quādo magiſtratus politicus officio ſibi commiſſo negligētius fungitur, ſolet Deus, ut ſummus monarcha, manum adhibere & punire etiam ciuilia ſcelera corporalibus pœnis, ut homines cogitent nō propterea ſe euaſuros debita ſupplicia, quia

ue

uel magistratum politicum latent eorum facta, uel magistratus ipse siue metu, siue ignauia, siue ignorantia, siue molli quadam indulgentia non facit officium, nec omnia flagitia ad serium examen reuocat.

Non itaq; ex eo homines sibi polliceantur impunitatem, quòd uideantur facile manus magistratus politici effugere posse, neq; ex eo, quòd pœnæ non statim comitentur facta, ipso Deo non statim puniente, sed differente pœnam suo sapienti consilio. Neq; enim ideo aufertur pœna, quia differtur, quoniam tarditate uindictæ grauitatem supplicij Dominus compensare solet. Mitigat haud raro Dominus pœnam, propter pœnitentiam, ita tamen, ut haud obscura sui iudicij testimonia relinquat.

Quapropter admonitos uolo omnes usurarios ut maturè resipiscant, ac potius pœnitentem Zacheum imitentur, cuius pœnitentiã Euangeliũ nobis commẽdat, quàm Iudam, qui suo furto tandẽ ad

laqueum

laqueum adductus est. Etsi minus iudicium Dei timeant ipsi, misereantur saltem suorum liberorum, ne uenenum usuræ, quod contrahunt parentes, ipsis liberis sit mortiferum. Sciant uerissimum dictum esse.

Ex male quæsitis non gaudet tertius hæres.

SPIRITVALIS POENA usurariorū tametsi est grauissima, non pauci tamen eam ut ridiculam contemnunt. Qui enim exercet usuram, is absq; omni dubio extra familiam Dei est, extra corpus Christi est. Quomodò enim membrum Christi esse potest is, qui Christum in suis membris usura trucidat? quomodo domesticus Dei censebitur, qui militat Satanæ? qui uerbum Dei, pro ludibrio habet?

Iam qui non sunt de corpore Christi, nihil habent commune cum sanctorum thesauro, *qui omnibus huius mundi diuitijs* longè est precioſior. Quis thesaurus maior esse poterit, quam possidere Christum? quæ diuitiæ præstantiores,

quam

quàm regni Dei hæreditas? Hos thesau-
ros, has diuitias habet Lazarus ulcero-
sus, pauper, sed timẽs Deũ, quibus ęter-
num carebit Diues Epulo, & cum illo,
quotquot abiecto timore Dei iniustis
lucris dant operam.

Quid quæso est, si uel Crœsi diuitias
tua usura lucrari posses, ac interim ia-
cturam animæ tuæ faceres? O peruer-
sum iudicium. Temporis huius breui fi-
niendi curam habes maximam, sed nul-
la de futuro, cuius nullus terminus erit,
cogitatio animum subit.

Ego itaq; si quid mea ualeat admo-
nitio, hortor omnes qui Deum esse uerè
statuunt, qui Deũ iustum iudicem agno-
scunt, & qui uitam aliquam fore reli-
quam post hos cineres credunt, ut ma-
turè resipiscant, ut cùm Dominus citius
opinione aduenerit, deprehendat ipsos
nuptiali uestitos tunica, & non infernali,
quam suis sibi comparârunt usuris.

Ecclesiastica in usurarios pœ-
na, olim huiusmodi fuit. Primum reij-

cie-

ciebantur à solenni oblationis ceremonia. Deindè arcebantur à sacra Synaxi, hoc est, à communione corporis & sanguinis Domini. Adhæc à sepultura Christianorum excludebantur. Hęc pœna in usurarios grauissima quidem fuit, iustissima tamen.

Nam primùm, quantum ad oblationis ceremoniam attinet, seu eleemosinam in usum ministrorum Euangelij & in pauperum resocillationem attinet, sciendum est quod eleemosyna ex usuris erogata, Deo sit abominabilis. Nulla n: sacrificia (Est enim beneficentia erga pauperes rectè facta, sacrificij quoddam genus) placere Deo possunt, nisi quæ iustè parta à puro animo & recta uoluntate prælucente fide, proficiscantur. Nam hoc ueriſsimum est: quòd nullius hominis opus placere Deo prius possit, quam animus placeat. Hic autem placet minimè, nisi antea fidei Spiritu, se coram Deo prostrauerit.

Vtrunq; confirmatur hoc Esaię dicto, cap:

cap: 66. ad hunc (ait Dominus) respicio qui humilis est & contritus Spiritu, tremitq; ad sermonem meum. Qui mactat bouem (scilicet, sine humilitate spiritus) ac si hominem occidat. Qui sacrificat pecudem, ac si canem iugulet. His uerbis ut uno uerbo dicam Propheta significat omnia impuris impura esse, & nihil Deo placere, nisi quod à uero timore Dei profectum, iustè & ex iustis fiat.

Sed uideo quid contrà obijciatur: Vsurarij, inquiunt, unam nobiscum profitentur fidem Christianam: cur ergo non licebit illis in rebus externis duntaxat, cum pijs communicare? Fateor quidem usurarios nobiscū fidem profiteri Christianā, uerùm id solummodò uerbis faciūt, atq; interi factis suis turpissimè negant. Vnde fit, ut & abominabilis sit eorū professio corā Deo, & ipsi, quæ est ipsorum cōtumacia, ad omne opus bonū reprobi.

Deinde quod à sacra Domini cœna arcebantur usurarij, iustissima ratio fuit. Quid enī suibus cū corpore & sanguine

Christi

Christi commune est. Quid illis cum cibo filiorum, qui mancipia sunt Satanæ? Nolite, inquit Dominus, sanctum dare canibus, nolite margaritas proijcere ante porcos. Quid, quæso, illis cum mensa Domini conueniet, qui pabulo Diaboli, hoc est, usuris saginati luxuriant? Quapropter ministri Euangelij quicunque scientes & conscij, usurarijs sanctissimum corpus & sanguinem Domini porrigũt, non solum impiè alienis peccatis communicant, quarum & pœnas aliquando luent: Verumetiam quantum in se est, corpus & sanguinem Domini in turpissimã & fœdissimam Satanæ cloacam sacrilegè proijciunt, cuius flagitij pœnas nequaquam euadent.

Sed, inquies, multi æquè malicij & usurarij accedunt ad cœnam Domini? Credo hoc quidem, nam & Iudas etiam, inter usurariorum accessit ad mensam Domini, sed quid illi profuit? An non una cum pane spiritum Satanæ hausit, idq; non porrigentis, sed sua propria recipientis

entis culpa. Dominus quidem ſalutem porrexit, uerùm ille auaritiæ ueneno infectus, turpiter quod obtulit Dominus reſpuit, & totus quod Satan præbuit, exhauſit.

Quantum autem ad ſepulturæ pœnam pertinet, non caret ratione iuſtiſsima maiorum noſtrorum cenſura. Hoc autem optimè intelligit is, qui cauſam cur Sanctorũ funera honoramus pompa funebri & honeſta ſepultura perſpexerit.

Sed quænam eſt illa cauſa? Spes reſurrectionis glorioſæ. Digniſsimũ enim eſt, ut ea corpora honeſta ſepultura proſequamur, quæ ſperamus olim glorioſo corpori Chriſti fore conformia. Nam dum uidemus corpora ſanctorum pulueribus mandari, ſurſum leuamus mentẽ ad eum, qui olim, præcedente uoce archangeli, dicturus eſt: Surgite mortui. Et mortuos excitatos immortalitatis gloria eſt donaturus.

Iam autem cum impij, inter quos

sunt usurarij ueluti antesignani & stipendiarij Satanæ, primum locum occupantes resurgẽt, teste Daniele ad ignominiã & confusionem sempiternam, quis pius iudicabit eos dignos Christianæ sepulturæ honoribus? Psalmus, 15. eum inter pios numerat, qui reprobum in oculis suis contemtum habet, & timentes Dominum glorificat: quomodò igitur quẽ abominatur, glorioſa & honorifica ſepultura ornabit & proſequetur? Ieremias Tyrannum ſepultura aſini, idq; iuſto Dei iudicio, ſepeliendum prædicit: quid ſtatuendum ex eodem Dei iudicio de uſurarijs, qui quibuſuis Tyrannis crudeliores ſunt.

Non moror, ſi Cyclops aliquis uatidicum ſpiritum ſibi mentiatur, dicatq; fieri poſſe, ut multi qui hoſtes ſunt uſurariorum, ſepultura aſini ſepelianturipſi, ac interea uſurarij magna cum pompa ſonantibus campanis & prælucentibus tædis, ad ſepulturam deducantur.

His nihil aliud reſponſum uolo, quàm quod

quòd quemadmodum mors Sanctorum sit in conspectu Domini pretiosa: ita & illorum sepultura coram Deo sit honorifica. Quare quòd nos testati sumus de honesta Sanctorũ sepultura, ad disciplinã Ecclesiasticam & non ad iudiciũ Dei, cuius uię sunt imperscrutabiles pertinet.

Quid hic futurum mihi est? quos nõ habebo huius iustissimæ censuræ Ecclesiasticæ oppugnatores? non deerunt profecto qui suis pigmentis & amuletis usuræ malum mitigare uolent. Multi clamabunt, Serpente, qui primos nostros parentes decepit, præceptore: legem Mosis ante multos annos per Christi aduẽtum antiquatam, abrogatam & abolitam esse, & nihil pertinere ad Christianum populum, qui sua libertate gaudet, & non sinit se interdicto Mosaico constringi.

Oratio quidem hæc plausibilis est, sed conscientiæ testimonio arguitur. Nã qui hoc colore suam pingunt auaritiam, à domestica Eua, miserè per serpentem seducta, decepti, in propriam pernicie-

ciem ruunt, ac se sua fallunt Sophistica. Non enim rectè perpendunt isti Mosaicum interdictum, nec ad legem charitatis, ut deceret, reuocant usuræ interdictum, quod si facerent non obscurè uiderent, stabilita usura euerti charitatis normam, quam Deus æternam esse uult.

Cum igitur charitas, nec in hac uita, neq; in futura abolebitur, quantum quidem ad præceptum & uoluntatem Dei attinet & debitam perpetuò obedientiã, quis non uidet usurã quæ charitati ex diametro aduersatur, damnatam esse? Verum de hac re satis. Nam antea copiosè à nobis ostensum est, cùm de causis prohibitæ usuræ ageremus, interdictum usuræ ex lege charitatis manare. Quapropter absq; omni dubio, nudi coram iudice Deo deprehendentur, qui istud perforatum folium, suæ tegendæ turpitudini adhibent.

Excipient fortè adhuc & dicent. Volenti non fit iniuria. Qui mutuò ab usurario pecuniam supplex petit, pacisci-

 usuram

usuram, nõ quidem coactus, sed uolens, non igitur usurarius qui supplicem hominem iuuat, contra charitatem facere dicendus est.

Principium ex quo hæc ratio petitur, ambiguum est, ut quod in duas partes claudicet, quarum una uera, altera falsa est. Nam non omnis uoluntas est spontanea & ἀυτόματος, quod facile in exemplis cernere licet. Viator latroni, uolens quidem thesaurum tradit, non facturus nisi gladium latronis timeret. Nauta imminente naufragio iacturam mercium facit, idq; uolens, sed unde quæso illa uoluntas? non sanè ex spontanea electione, sed ex naufragij imminentis metu proficiscitur. Nam ideò nauta merces uolens abijcit, ne ipse cum mercibus suis una pereat. Duobus igitur malis propositis, id quod minus malum uidetur, uolens eligit. Ad eundem modum uoluntas accipientis mutuò ab usurario, ad stipulationem usuræ se habet, quam uolens quidem promittit, non facturus

nisi inopia cogeretur, ad maius malum uitandum.

Porrò quod quidam obijciunt, familias & respublicas stare non posse sine usuris. Hoc quidem uerum esse, in hac mundi corruptione & uirtutis mascule, quæ in maioribus nostris fuit, exilio, fateor. Sed unde, quæso, illud commodum, quo seruari familias & respublicas clamitas? num ex usura? nequaquã. nihil enim boni per se ex usura esse potest, sed potius malorum pelagus. Verùm si quid fortuitò boni ex usuris prouenire uidetur, id nequaquam usuris, sed mutuationi tribuendũ est, quæ mutuatio si fieret sine usuris, magis familijs & rebusp: profutura esset.

Sed surdis, inquies, canis, qui usurarios, idololatras (colunt enim usurarium loco Dei Aristophanicum Plutum) in uiam reuocare conaris. Sit sane ita, siquidem illi tanquàm Aspides, ad uerbum Domini obsurdescunt. Nihil enim tanta cũ animi indignatione audiunt, atq; suas damnari

nari usuras. Dulcius illis est pessimũ il-
lud lucellum, quod captant, quàm ut illo
carere, uel quouis periculo proposito ue-
lint. Atq; adeo hinc est quod non pauci,
qui satis splendidè pro sui status ratione,
ex rebus fundi proprij uiuere possent,
uendant suam hæreditatem, ut pecunia-
ria aliqua summa corrasa, & ad usuram
exposita, ociosis liceat suis indormire u-
suris, ac uarias excogitare technas, qui-
bus suos debitores nõ sine usurarũ usuris
retineãt, donec prorsus eos exhauserint,
non sine maximo œconomiarum & po-
litiarum incommodo.

Etsi autem hi forte nostrã sententiã nõ
sunt approbaturi, tamẽ nostri officij est,
eos admonere, saltẽ ut cogitẽt diẽ prẽter
expectationẽ adfuturum, quo iusto iudi-
ci rationẽ reddituri sunt, qui ut nulla ac-
ceptione personarũ corrũpitur, ita nulla
sophistica decipitur. Atq; tũ demũ sentiẽt
usurarij & salutaria nos monuisse, & He-
siodũ Ethnicum illum sacerdotẽ, uerũ di-
xisse, qui in hunc modum uates minimè
uanus canit.

μὴ κακὰ κερδαίνειν, κακὰ κέρδεα ἴσα ἀτῇσι.

Hoc est, noli sectari malum lucrum, non enim differunt à damnis mala lucra. Vnde hoc habuit Hesiodus: num ex uerbo Dei, quod usurarij contemnunt: nullo modo. Miser enim ille, nec Prophetica nec Apostolica scripta uidit unquã. Vnde ergo: experientia & natura magistris, hoc uerissimum ædidit oraculum, cum uoce Prophetica & Apostolica apprimè congruens.

Cum Hesiodo concinit antiquissimus ille Thebanorum Poeta, quem propter singularem sapientiam Alexander Magnus amplexus esse dicitur: ita enim ait.

ἐντὶ γὰρ θνατῶν φρένες ὠκύτεραι
κέρδος αἰνῆσαι πρὸ δίκης δόλιον,
τραχεῖαν ἑρπόντων πρὸς ἐπίβδαν δ' ὄμα.

Hoc est, mentes humanæ proniores sunt ad laudandum fraudulentum lucrũ, quàm ad sectandam iustitiam: tametsi repunt ad asperum illum Diem, quo pœnas

nas suæ luent iniustitiæ. Vocat autem Pyndarus ἐπιβδαν, diem pœnis præstituram, quæ delicias & uoluptates, quas impij ex suis iniustis lucris percipiunt, sequetur. Vt enim ἐπιβδα propriè est postridiana dies feriarum (in quibus se plerique liberius in omne uoluptatum genus & delitiarum præcipitant) qua homines in memoriam reuocare solent, quę licentius per ebrietatem peccauerunt: Ita dies mortis & iudicij extremi, erit usurarijs ἐπιβδα, in qua sero tandem suorum peccatorum pœnitentiam agant, sed frustrà, nullo enim modo pœnitentiam ueram agere putandus est, qui inuitus à peccato abstinet.

Hæc paulò copiosius de pœnis usurariorum asscribere placuit, ut fœneratores iræ Dei & pœnæ suis ceruicibus imminentis admonerem: quam nullo modo effugient, nisi maturè resipiscant, & in testimonium resipiscentiæ, quod iniustè acceperunt, iustè reddant, modo poterunt. Verùm si non potuerint, faciant

saltem quod possint, deprecentur culpã apud Deum, deprecentur iniuriam apud eos quos sua læserunt usura, ac reconcilientur Ecclesiæ publica satisfactione, ne portio ipsorum cum Iuda fiat.

Cæterum si qui hæc nostra consilia & admonitiones contemserint & deriserint, id quod futurum esse non dubito, nihil mea refert. Salutem miserorum hominum quæro, ueritatem prædico, cui qui non paruerit, inueniet suo tempore iustum iudicem, qui & suum & suorum contemtum iustissimè puniet.

DE TERTIO.

Postquam iam dictum est de usurarũ prohibitionibus, earumq; causis, & de pœnis eorum, qui prohibitam usuram, spreto cùm diuino tum humano iure, exercent: locus postulat, ut uideamus num sit aliquis contractus usuræ ex parte similis, non tamen cum charitate proximi pugnans. Et si sit, quatenus pius eodem, bona conscientia & sine offensione Dei uti possit. Hoc

Hoc omnium primum certissimo certius tenendum est, quod usura damnata uerbo Dei, ideo sit illicita, prohibeatur, damnetur, quia pugnat cum fundamento ex lege charitatis manante: quod tibi non uis, alteri ne feceris. Quod autem hoc fundamentum nostrum sit immotũ, suprà declarauimus, ubi fundamenta contractuum iecimus. Ibi enim scopum officiorum omnium in hac humana societate, charitatem esse demonstrauimus.

Ex isto fundamento immota consequentia concluditur, nullum contractũ damnari, qui charitati proximi non aduersatur. Quapropter si talis aliquis mõstrari poterit, licitus absq; dubio censebitur, etiamsi magna ex parte usuræ similis apparebit. Nequaquam enim iustum est, ut omnes contractus utiles in republica, prætextu usuræ propter similitudinem damnemus.

Etsi autem multi huiusmodi contractus à Iurisconsultis sapienter commendantur, nos tamen de illis dicemus, de qui-

quibus maximè controuertitur, potissimum in hoc regno. Verũ ut de his contractibus sine errore iudicemus, & id inueniamus, quod bona conscientia, sine offensione Dei, sequi liceat: necesse erit de uarijs hominum ordinibus dicere, ut intelligatur quibus ex obligatione debeamus mutuum, & quibus non. Illic enim propriè cõmittitur usura, hîc leges magistratuum statuere possunt, quæ sapienter suæ reipub: salutaria esse nouerunt.

Nam hæc regula utilis in humana societate tenenda est. Contractus legibus & autoritate magistratus, hoc est, boni & sapientis iudicis seu Iurisconsulti approbatos, concessos esse Christiano homini. Licet enim Christiano uti politicis ordinationibus, & hæ ordinationes ualent non solum propter rationem, sed etiam propter autoritatem magistratus. Sic ergo Christianus conscientiam suam erudiat, ut intelligat hæc concessa esse, quia Deus approbat leges & magistratus, & uelit nos uti politicis ordinationibus,

nibus, & in contractibus sit cõtentus eo medio, ea æqualitate, quam constituunt leges & magistratus, modò aperte à decalogo & iure naturæ non discedatur.

Hæc regula primum monet, ut reuerenter iudicemus de legibus & ordinationibus boni magistratus. Deinde, ut non temerè, aut nimis acerbè de contractibus, quos approbant leges iudicemus. Iam ordines hominum, sicuti proposuimus uideamus.

In primo ordine, sint pauperes & mẽdici: ut qui impediti senio, aut morbo grauati, aut alioqui aliqua singulari calamitate affecti, sine aliorum eleemosyna uiuere non possint, nedum lucrum facere. His ex obligatione debemus charitatis officia & eleemosynam. Quare his dandum est, absq; omni compensationis aut officij expectatione, propter mandatum Dei & charitatem, quam natura nobis inuicem debemus.

Atq; hoc debitum adeò necessarium est, ut qui hoc soluere recusauerit, mãdatum

tum Dei contumaciter uiolet, Christi imperium impiè detrectet, membra Christi crudeliter opprimat, legem charitatis impiè repudiet, sibiq; ipsi certam accersat perniciem. Hinc itaq; facile constare potest, quàm sit necessarium officium eleemosynam dare, & uerè egentes suis facultatibus subleuare.

Quoniam autem multas uideo esse causas, quibus plerisq; impediantur, quò minus in hoc necessario & debito officio occupentur, ut sunt in multis auaritiæ studiū, ignorantia prouidentiæ Dei, diffidentia Ethnica, luxus, abusus rerum ad uarias ineptias, multi inutiles sumtus, & crudelis, proh dolor, in plerisq; ἀσπλαγχνία, qua fit ut miserorum inopia minus afficiantur, uolo locum DE ELEEMOSYNA hîc copiosius tractare, idq; hoc consilio, ut & necessitas debiti, quo uere indigentibus obligamur intelligatur, & nos admoniti alacriores faciamus officium, & liberaliores erga pauperes reddamur.

Pri-

Primum itaq; oſtendam unde ſit inco-
anda eleemoſyna, & quæ ſunt eius ge-
nera.

Deinde cauſas recitabo, quibus pios
ad dandam eleemoſynam excitari o-
porteat.

Tum affectum dantis eleemoſynam
ſignabo, & ſimul modum eleemoſyna-
rum præſcribam.

Poſtremò de finibus piè præſtitæ e-
leemoſynæ, & de fructu qui ad eos redit,
qui eleemoſynam hilari animo iuxta mã-
datum Chriſti largiuntur, agam.

Quicunq; eleemoſynam dare decre-
uit, hoc ordine eleemoſynam ſuam faciat.
Omnium primum ſibi ipſi ſit miſericors,
hoc eſt, ſibi ipſi primam exhibeat eleemo-
ſynam: quod tum demum fit, quando ho-
mo ſe à ſuis malis uijs auertens, ad Do-
minum per ueram pœnitentiam ſe con-
uertit. Nulla enim miſericordia (hoc
enim ſonat uox eleemoſynæ) ab eo præ-
ſtari poteſt, qui adhuc ſub Dei miſericor-
dia non eſt.

Qua-

Quarè Syracides rectè monet, cùm inquit cap:30. Miserere animæ tuæ placens Deo, & cor tuū consolare ac mœrorem abs te longè depelle. Cùm dicit, miserere animæ tuæ placens Deo, significat qua in re misericordia illa sita sit, quam nobis ipsi exhibere debeamus, nempe in conuersione ad Deum & in fide, sine qua impossibile est placere Deo. Hoc modo Abraham suam incepit eleemosynam: cuius exemplo & reliqui pij omnes, à se ipsis incoauerunt eleemosynas.

Huc pertinet illud Augustini. Si uis facere eleemosynam, incipe à te ipso. Quomodò enim potest esse misericors alteri, qui sibi crudelis est. Qui hoc modo suam incoauit eleemosynam, mox se ad proximum conuertet, eiq; misericordiam exhibebit.

Hinc prima eleemosynæ distinctio nascitur, ut sit VNA quam quisq; sibi ipsi præstat, ALTERA quam quisq; alteri. Illa natura prior, hæc posterior.

Posterior

Posterior autem hæc, duplex rursus statui potest, ut una sit spiritualis, altera ciuilis. SPIRITVALIS ad spiritum pertinet, quam is præstat, qui errantem ab ouili Christi, in uiam reuocat, ac in ouile Christi introducit. Hac eleemosyna nulla diuinior, nulla utilior, nulla denique magis necessaria. Nam ut anima præstat corpori, ita eleemosyna, qua saginatur anima, multis modis præferenda est eleemosynæ, qua necessitatibus huius caduci corporis succurritur, & ut æterna bona anteponenda sunt omnibus huius uitæ commodis, ad breue tempus duraturis: ita eleemosyna quæ æternæ uitæ acquirendæ confert, anteferenda est eleemosynæ huic caducæ uitæ seruienti.

Huius magnum est encomium apud Iacobum Apostolum, qui ait. Fratres si quis inter uos aberrauerit à ueritate & conuerterit eum quispiam, sciat quòd qui auerterit peccatorem ab errore uiæ suæ seruabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.

Civilis eleemosyna pertinet ad hanc præsentem uitam, uidelicet, cùm misericordia tacti, pauperum cuiuis succurrimus inopiæ. Ad utranq; misericordiam Christus nos exemplo Patris hortatur, cùm inquit: Estote misericordes, sicut pater uester cœlestis misericors est. Huius præcepti meminerit omnis, qui Christum præceptorem agnoscit.

Causæ quibus pij ad dandam eleemosynam excitari debent, sunt plurimæ, inter quas hæ sunt præcipuæ.

Prima, Christianismvs ipse, seu professio religionis Christianæ. Hæc enim requirit ut in omni opere bono abundemus, & ut nos inuicem tanq; membra unius corporis, cuius caput est Christus, complectamur foueamus q;. Hoc cùm ex fide Christi fit, in timore Dei uerum meditamur Christianismũ, hoc est, uere diuinam naturam imitamur. Nam cum Deus, quem imitari nos iubet Christianismus, diues est misericordia, nos misericordiam ipsius imitando, diuinæ

quos

quodammodo naturæ imitatores dicimur.

Cæterùm qui in hac imitatione non occupantur, sibi Christianum mentiuntur nomen. Præterea non legitimi Dei filij, sed spurij potius habentur: nullum enim inter filios suos agnoscit Dominus, nisi quem uiderit conari saltem paternas imitari uirtutes.

Huc pertinet illud dictum Domini, apud Prophetam: Si ego pater uester, ubi honor meus. Est autem præcipua honoris pars, qua filij suos parentes prosequi possunt, eorum uirtutes imitari. Hanc causam misericordiæ proximo exhibendæ, proponat sibi quis quis Christianismi gloriam serio expectat, nec sinat se exemplis malis ab hoc necessario & debito cultu Dei abduci.

Sextùm, MANDATVM DEI, cui omnes creaturæ parêre oportet. Huius causæ meminit Syracides cap. 29. cùm inquit: Propter mandatum subueni pauperi, atq;

in eius egestate ne auertas eum. Et paulo post: Thesaurum tuum secundum mãdatũ altissimi colloca, & tibi magis quam aurum proderit. Thesaurus quidem noster qui nunquam deficit, deponendus atq; asseruandus nobis est in cœlo, sed tamen in hac uita apud pauperes collocatur, in quos beneficia collata Dominus ita accipit, quasi in ipsum contulisemus.

Omnia testimonia scripturæ, quę nobis dilectionem proximi commendant, requirunt maximè beneficentiam erga egenos. Nam hæc dilectionis ueræ principua pars est. Huc pertinet illud Domini Deut. 15: Præcipio tibi ut aperias fratri egenti manum. Hoc præceptum Dei qui contemnit quomodo Deum diliget potest? quomodo timere? ita enim Iohannes ait: Qui habet facultates huius mundi & non dat egenti, quomodo manet dilectio Dei in eo? Et Iob. 6. Qui tollit misericordiam à proximo, timorem Domini abiecit.

Qui

Quicunq; igitur constituit Deum diligere, eumq; ex animo timere, cogitet se Deo præcipienti debere obedientiam. De qua re Micheas in hunc modum concionatur cap. 6. Indicabo tibi ô homo quid sit bonum, & quid Dominus requirit abs te, utiq; facere iudicium, & diligere misericordiam, & solicitè ambulare coram Deo suo semper.

Tertia, EXEMPLORVM imitatio, Christi Domini primùm, ac deinde mẽbrorum ipsius. Christus pro nobis factus est pauper, ut nos ditaret. Quid ergo uicissim Christi membris debemus? præsertim cum sibi factum testatur, quicquid uel minimis eius membris fecerimus. Matth. 25.

Sanctis patribus nihil fuit magis in uotis, quàm pauperes sanctos refocillare. Abraham peregrinos obseruat, ut ipse inuitatis beneficentiam præstet. Loth inuitat angelos quos peregrinos pauperes esse putabat. Cornelius aulicus uacare perpetuæ orationi & eleemosynis

scribitur, quas ascendisse coram Deo testatur scriptura.

Quarta, DIGNITAS æstimatioq; eleemosynæ piè præstitæ coram Deo. Prouerb. 21. Facere misericordiã & iudicium gratius est Domino, quàm uictima. Christus Mat. 9. Misericordiam uolo & non sacrificium. Heb. 13. Beneficentiæ uerò & communicationis ne obliuiscamini, talibus enim uictimis delectatur Deus.

Tanta dignitas, tanta æstimatio est eleemosynæ piè præstitæ coram Deo. Præfertur uictimis: Deus dicitur ea singulariter affici & delectari. Hæc dignitas meritò eos commonere deberet, qui huius mundi facultatibus abundant, ut studerent diuites esse, iuxta consilium Pauli in bonis operibus.

Quinta, PROXIMVS ipse. Quòd autem omnis homo omni homini sit proximus, parabola de Samaritano docet. Etsi cũ alijs maior est ea necessitas. Omnis homo cùm pius, tũ impius, proximus mihi est; idq; primùm ratione creationis.

Deinde

Deinde gratia similitudinis. Tũ respectu communis uitæ & humanæ societatis.

Etsi autem hoc triplex uinculum, quo inter se omnes homines deuincti sunt, magna causa est, quare homines hominibus bene facere debeant: tamen adhuc longe maior est copula, qua Christiani Christianis colligati sunt. Primum enim communis est Christianorum omnium uocatio, qua ad unitatem spiritus in uinculo pacis uocamur. Deinde per eundem Spiritum Christi in filios Dei regeneramur. Vnde fit, ut & unum habeamus patrem Deum, & ipsi inter nos fratres simus. Adhæc, eiusdem corporis mystici membra sumus, cuius caput est Christus. Postremò eandem spem futuræ gloriæ habemus, sumus enim æternæ uitæ hæredes, in Christo Iesu Domino nostro.

Si hanc quintam causam misericordiæ erga proximũ, seriò cogitamus, nemo non agnoscit, quàm necessariò egenis exhibenda sit beneficentia. Taceo uin-

culum, quo omnes homines in hoc mundo sint sibi inuicem debitores. Quis unquam uideri contemtor unitatis spiritus: ad quam nos uocat Euangelium: quis spiritualis fraternitatis abnegator audire sustinet? quis Christi membra ita contemnere audebit, ut ea frigore inedia & nuditate cruciari sinet? quis non meritò ferret illum participem rerum huius mundi, quæ caducę sunt quem statuit secum cœlestium bonorum fore hæredem?

Si hæc beneficentiæ & misericordiæ causa pro sua dignitate æstimaretur à multis, minus fraudibus & iniustis lucris studerent, minus egena Christi membra spoliarent, ac magis de fouenda carne sua cogitarent. Meminerimus quaso quoties uidemus aliquem miserum nostram opem implorantem, dictum Esaiæ Prophetæ: Carnem tuam ne despexeris.

Sexta, POENA eaq; multiplex, eorum qui duri sunt erga pauperes. Prima, ira Dei, Syracides 4. Ab inope ne auertas oculos

oculos tuos, propter irã. Secunda, maledictio, Idẽ, maledicentis tibi in amaritudine animæ, exauditur deprecatio eius, exaudiet autem eum qui fecit illum. Tertia, repulsa precationis tuæ in necessitate tua inuocantis, Prouerb. 21: Qui obdurat aures suas ad deprecationem pauperum, ipse clamabit & non exaudietur. Horrenda sane pœna, qua nulla grauior esse potest: neq; mirum est eum à Deo non exaudiri, qui filium Dei in suis membris clamantem, non exaudit. Quarta, Spoliatio donorum, scriptum est enim: non habenti auferetur ab eo, quod habet. Is autem NON HABERE dicitur, qui donis suis & facultatibus in gloriam Dei & sublevationem miserorum, non rectè utitur. Huc illud Prouerb. 3. Qui despicit deprecationem pauperis patietur inopiam. Sexta, mendicitas liberorũ, aut flagitiosissima eorum uita, quæ omni egestate multo grauior est.

Dixi de pœnis eorũ, qui sunt crudeles erga pauperes, idq; non ex Philosophia,

quæ errare poterit, sed ex ipsis oraculis Dei, quæ fallere aut mentiri non possunt. Hæc qui contemserit, breui iustum iudicem inueniet.

Iam dicemus de affectu, qualem requirimus in eo qui constituit eleemosynam dare, & de modo eleemosynę iusto & congruo.

Duo uitia uult Christus ab eleemosyna excludi, Matt. 6. quæ sunt, hypocrisis, & inanis gloria. Hæc enim duo, tanquam pestifera uenena, inficiunt quicquid attingunt. Nec̃ id mirum est. Vbi enim hypocrisis, ibi nulla fides: ubi inanis gloria, ibi nulla Dei dilectio, nullus timor Dei. Absint ergo ab eleemosyna nostra Pharisaica hypocrisis, & stulta gloriatio.

Quos igitur affectus requiris in eleemosyna? amorem Dei, dilectionem proximi, candorem simplicem & hylaritatem. His enim affectibus tanc̃ sale quodam diuino aspergi debet eleemosyna, quo gratum Deo sacrificium, esse debet.

Præte-

Præterea cum eleemoſyna coniungenda eſt fides, qua nõ ſolũ ſtatuimus eleemoſynã noſtrã placere Deo, ſed etiã ipſi curæ eſſe totam noſtram uitam, ſuppeditari ab ipſo nobis neceſſariam defenſionẽ & uictum. Et quia poſtulat, ut nos iuuemus alios, ac promiſit pręmia, propter Deum præſtabimus beneficia, & uiciſsim fide expectabimus auxilium Dei.

In modo eleemoſynæ ſpectabimus, quantitatẽ, iuxta conſiliũ Tobię qui ait: Si multum tibi fuerit, abundanter tribue, ſi parũ, libenter impartiri ſtude: ἰσότητα, hoc eſt, æqualitatẽ, ut ex debito officio tu conferas egenti eleemoſynam, & ille uiciſsim grato animo accipiat, ac *tibi benè* precetur: Promtitudinem animi, iuxta illud Pauli. 2. Cor. 8. Si adſit promtus animus, is acceptus eſt, pro eo quod habet aliquis, non pro eo, quod non habet. Diſcrimen externorũ & domeſticorũ fidei, iuxta Pauli conſiliũ, Gal. 6. Dum tempus habemus, ſimus benefici erga omnes, maximè autem erga domeſticos fidei, id eſt,

eos

eos qui per fidem sunt in eadem atq; nos familia Domini: possessionem, secundum Salomonis dictum: Fontes tui deriuentur foras, sed tu dominus eorum esto.

Iam reliquum est, ut de finibus eleemosynę piæ, & de fructu eius dicamus. Etsi autem cùm fines, tum fructus eleemosynæ sanctæ ex prioribus facile concludi possunt, tamen ut magis piũ lectorem ad hoc necessarium sanctum & debitum officium excitem, nonnulla de finibus & fructibus eleemosynæ piæ præstitæ adijciam.

Fines sunt quatuor: primus, subleuatio proximi indigentis & resocillatio membrorum Christi. Secundus, prouocatio aliorum ad beneficentiam erga pauperes, iuxta illud 2. Corint. 9. Et ex uobis ortus zelus prouocauit complures. Tertius, testificatio fidei nostræ & timoris Dei, eò enim destinantur charitatis officia, ut illis testemur nos timere Deum, cuius mandato obsequimur.

Quar-

Quartus, gloria Dei, fructus uarij & multiplices comitantur liberalitatem erga pauperes. Paulus testatur fore, ut qui liberales fuerint & benefici erga pauperes, abundent in omni opere bono. Ita enim placet Domino, obedientiam erga se nouis gratijs compensare.

Atq; hoc est quod Dominus dicit, Matth: 6. Dominus dabit mercedem in propatulo. Et Psal: Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Solomon: Foneratur Domino qui miseretur pauperis. Paulus ait: Qui seminat in benedictionib⁹, de benedictionibus & metet.

Isaiæ 58. Cùm effuderis esurienti animam tuam, & animam afflictam repleueris, orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt ut meridies, & requiem tibi dabit Dominus Deus tuus semper.

Syrac: 29. In cellas tuas conclude beneficentiam, & ea te ex omni afflictione liberabit, magis quam scutum ualidū robu-

robustaq; lancea aduersus hostem pro-
pugnabit. Hîc sapiens necessitates pro-
ximorum cellas uocat, in quibus bene-
ficia sunt & reponenda & asseruanda,
unde quidam ex sanctis patribus elegan-
ter & bene dixit: manus pauperis ei
gazophylacium Christi.

Deinde subiungit, Sapiens benefi-
centiæ in illis cellis collocatæ maximum
fructum, liberationem à malis atq; ad-
uersus hostes firmissimam propugna-
tionem ac defensionem. Nulla enim re
homo aduersus omnia pericula magis
potest esse munitus ac tectus, quam be-
neficentia & misericordia. Loquor au-
tem de ea eleemosyna, quæ ex fide pro-
ficiscitur, sicuti satis ex superioribus pa-
tet, ne quis putet me cum Papistis sen-
tire, qui suis eleemosynis precium im-
ponunt, sine Christo & sine fide.

Hæc de liberali ac pia eleemosyna,
ideo adjcere uolui, ut ditiores potissimũ
sui admonerem officij, ut intelligant se
diuino iure obligatos esse, ad conferen-
dum

dum aliquid egenis de suis facultatibus, idq; gratis propter mandatum Dei, & multas alias causas quas recensui. Præterea ut, si mandato Dei obedire recusauerint, sciant se contumaciæ erga Deum reos esse. Ex his perspicuè concluditur quod proposui, uidelicet, quod nemo ex hoc primo hominum genere lucrũ capere possit, sine grandi sacrilegio.

SECVNDO ordine hominum colloco artifices, & qui labore manuum suarum uictum quæritant. His iuxta præceptũ Christi, mutuò dandum est, & nihil inde sperandũ. Vt enim his dare gratis uetat Apostolus, cùm ait: Qui laborat mandu-cet. Siquidem pietas nequaquã flagitat, ut robustis hominibus & laborare ualentibus, gratis nostra demus: ita si urgẽte necessitate rem quampiã à te mutuò petierint, regulæ Christi obtempera & mutuum dato, sine expectatione compensationis, in simili aut alio officij genere.

Ratio regulæ est, quod qui in sudore uultus & labore manuũ suarum, uictum quæs-

quæritant, parum ultra uictum & amictum lucrari soleant. Tales itaq; si grauarentur usuris, non sine rerumpublicæ & familiarum magno incommodo, planè opprimerentur, atq; ita fundamentum contractuum, quod suprà iecimus, penitus subrueretur.

Cæterum non possum silentio præterire, quòd iustissimè in hoc hominum genere accusandum iudico. Nam præterquam, quòd plerique huius generis homines timorem Dei abiecisse uideantur, tria grauissima uitia in illis coercenda iudico, quæ sunt: potatio plusquam barbarica, luxus uestium isti generi hominì minimè conueniens, & fraus malaq; fides in ipsorum opificio & labore.

Artifices & operarij plerique, quicquid tota lucrantur hebdomada, hoc diebus festis potando insumunt, nulla habita uxorcularum, aut liberorum miserorum ratione. Ex quo fit, ut sæpius indigent artifices & operarij, & sæpius mutuò cogantur accipere. Tales si coherceretur

ætur legibus et pœnis, rectius cõsuleretur, non solum ipsis, uerumetiam reipublicæ.

Si quid è poculis superfuerit, hoc in luxum uestium conuertunt. Sæpe enim uidere est, pellificem aut calcearium, aut alium opificem elegantius uestitum esse, quàm me puero fuit eques auratus, cùm adhuc Heroica illa maiorum nostrorum uirtus, in aliquo precio erat. Non sunt contenti communi panno, qui apud maiores nostros in delicijs erat, sed nobiles & principes imitãtes, sericas uestes quærunt. Et quorum facultates id non permittunt, illi oras manicarũ & fimbrias uestium holoserico cingunt, ut animi sui superbiam, tanquam symbolo quodã prodant. Hîc grauissimè magistratum peccare iudico, qui istam leuitatem legibus & pœnis non cohercet.

Hic insurget forte aliquis locutuleius opifex, & hoc modo excipiet: Quid? an non licet mihi rebus meis uti, prout mihi placuerit? an non sum rerum mearum Dominus?

Decorum in omni uitæ genere seruandum est, quare nequaquam licet tibi contra decorum, rebus tuis abuti. Quod si feceris, magistratus officium est, ut te coerceat, doceatq; qualis ornatus calcearium aut pellificem deceat. Tu putas te ornatiorem reddi & commendatiorem hominibus, holosericis emblematis: sed homines cordati longè aliter de te iudicant. Nam ex uestium luxu, luxuriãtem animum ratiocinantur.

Quid dicam de fraude & mala fide opificum? quid de nouis fucis, quibus pingunt sua opera? quis non de opifici & operariorum uersutia conqueritur? Liceat mihi paulò liberius dicere quod sentiam. Singula opifica suos habent, si Dis placet inspectores, more ueterũ Atheniensiũ. Sed quid, quæso, hi inspectores faciunt? sunt fortè inter eos, qui ut partem lucri percipiant, aut uiliori precio sibi necessaria ab illis comparent: ad multa conniueant opificum errata (quæ corrigere deberent, modò ritè inspectorum officio

officio fungi uellent) parum de incolumitate corporis, hoc est, reipublicæ sollicitri. Prudentum igitur gubernatorum officium est, ut & ipsos artifices & eorū inspectores, seu assessores in ordinem redigant. Quod dixi de calcearijs & pellicijs, id de omnibus opificibus & operarijs, quorum usus in republica est necessarius, intelligi uolo.

In tertio hominum ordine collocentur agricolæ, qui etiam laboribus manuum suarum uictum quærirant. Hi si in timore Dei officium facerent, terramq; haud ignauè colerent, minus profectò egerent: præsertim illi, qui mediocres agros habent. Terra enim quam laborant, reddit cum fœnore quod accepit, modò labor agricolæ timore Domini riganus fuerit.

In hoc genere hominum, iniquissima exercetur usura, & talis quidèm usura, quam Turcæ & aliæ prophanæ gentes, haud dubiè abominarentur: Accipit fortè quis tonnam frumenti mutuò, tempore

sationis, sed cum pacto, ut ei à quo accepit mutuum, aut duplum finito anno reddat: aut seminet suis sumtibus gratis, quantum mutuò accepit. Taceo pecuniarum usuram, quæ priori multo iniquior est.

Hanc iniustitiam cohercere, pium magistratum oportet, & piorum pastori est, inuitare agricolas ad mutua officia præstanda, sine omni usura, in timore Domini, & execrandam illam usuram suis coloribus depingere, ut eam tanquam pestem aliquam fugere discant.

Optarem etiam in hoc hominum ordine, & luxum uestium cohercerí, & inutiles sumtus in nuptijs & puerperijs prohiberi. Haud enim raro fieri solet, ut necessarijs destituantur, qui obliti conditionis status sui, modum non seruant.

In quartum hominum ordinem referantur iuuenes delicatuli, de quibus Horatius in hunc modum scribit:

Imberbis iuuenis tandem custode remoto,
Gaudet equis canibusq; & aprici gramine campi,

Cer-

Cerus in uitium flecti, monitoribus asper.
Vtilium tardus prouisor, prodigus æris,
Sublimis, cupidusq; & amata relinquere pernix,

Huic ergo ordini ascribo ditiores iuuenes, non dum coniuges, siue sint nobiles, siue ciuium filij, qui iam dimissi à gubernatoribus morum, liberius pro libidine animi feruntur. His sæpe contingit ut propter prodigam effusionem rerum (fieri enim plerunq; solet, ut illi quibus panis, iuxta prouerbium, in ore nascitur, suarum rerum magis sint prodigi) pecuniam ab alijs mutuò petant. Quomodo autem cum his agendum sit, dicam, ubi prius ostendero, quid in ipsis desiderem, & quid corrigi uellem. Quanquam autem uereor, ne idem mihi cõtingat, quod olim leporibus qui leonibus iura dicebant, ipsa tamen ueritas præferenda est omni periculo.

Primum, non pauci haud malæ indolis, praua educatione corrumpuntur, & ea à primis annis contrahunt uitia,

quæ tota posteà ætate, ipsos plerunq; comitantur. Nam cùm parentes, uel nimium indulgent liberis, uel domestico exemplo ad deteriora eos inuitant, uel disciplinam debitam negligũt: quid quæso aliud fieri potest, quàm quod uidemus in arboribus, quæ ab initio neglectæ, tortuosæ fiunt & sterilescunt. Contrà quæ manu agricolæ & arte putantur, erigũtur, rigantur, rectæ, feroces & fructiferæ redduntur.

Quantum autem referat à teneris assuescere, Lycurgus suis Lacedemonijs, hoc ostendit paradigmate. Duos catulos ex ijsdem procreatos parentibus educandos suscepit, quorum alterũ gulæ permisit, alterum uenationi adhibuit. Hos ita educatos, in theatrum frequens Lacedemoniorum adduxit, & in medio collocauit: & simul in conspectu catulorum ollam carnium & leporem uiuum posuit. Hoc facto, utrunq; spectantibus Lacedemonijs soluit, quorum alter magno impetu in leporem fertur,

alter

alter in ollam carnium caput inſeruit. Cùm autem Lacedemonij, quid ſibi hoc ſpectaculi uellet, mirarentur, reſpondit Lycurgus: ambo iſti catuli, ex ijsdem parentibus ſunt progeniti, ſed uidetis alterum gulæ deditum, alterum uenatione delectari. Hoc diuerſum ſtudium educationi debetur. Magnum proinde, ô Lacedemonij, momentum, ſcitote ad uirtutem eſſe, uitæ rationem, educationem & aſſuefactionem.

Sapienter quoq; Crates antiquus, conſcenſa urbis editiſsima parte, exclamari iuſsit: quò quò feriminí ciues? num æquum eſt in opibus parandis totos uos occupari, & de liberis, quorum cauſa quæruntur opes, nihil eſſe ſolicitos? credite mihi, inquit, nulla poteſt liberis pretioſior & melior relinqui hæreditas, quàm ſi benè à teneris educentur, ac ad uirtutẽ rectè à primis annis informẽtur. Hoc eis perpetuò manet patrimonium, fortunæ procellis minimè expoſitum.

Quod autẽ parentes quidã, negligen-

tius suos institui liberos curent, duas præcipuas causas esse animaduerto, indulgentiam nimiam, & tenacitatem.

INDVLGENTIA matres sæpius peccant, & præsertim illæ, quæ non admodū numerosam sobolem habent. Hæ perinde faciunt, ac si agricola quispiam agrum recusaret colere, propterea quòd unicum tantum habeat. Quis huius ineptias & iudicij peruersitatem ferret? an non multò magis colendus quia unicus? Ita sane est, ut multorum defectum, unius usura compensaret. Ad eundē modum iudico matrum officium esse, eò diligentius liberos educare, quò fuerint pauciores. Sed quid matres impediat uideo, suos liberos habent chariores, quàm ut eos è cōspectu ad horulam abesse patiantur. Sed amor crudelis est, sic amare liberos, ut ad omnem nequitiam, ueluti à matribus prostituantur. Cuius peruersi & crudelis amoris, non paucæ iustas luant pœnas, quæ cum ingenti animi mœrore & lacrymis, natorum effrenem petulantiam uidere

dere coguntur: cui iam nimis serò medi-
cinam parare meditantur.

TENACITAS ab altera parte, haud
raro maior est, quàm ut sumtus face-
re uelint parētes. Quicquid insumitur in
equisones, moriones, cytharędos, canes,
&c. id rectè collocatum putant: at si quid
in liberorum institutionem insumi ui-
dent, id totum malè perire existimant, &
multò maiori diligentia student, ut ca-
ballus bene ad saltus formetur, quam ut
filius ad uirtutem bene instituatur.

Plutarchus perpulcram historiam
huc facientem narrat: Aristippus, inquit,
interrogatus à quodam stulto parente,
quantam pro filij institutione mercedem
postularet, respondet mille drachmas.
Hoc responso audito, pater indignabun-
dus exclamat: Dij boni, inquit, mancipi-
um mille drachmis comparare possum.
cui Aristippus: emito, inquit, mancipiū,
atq; ita duo habebis mancipia, & quem
emeris seruum, & quem genuisti filium:
significans liberorum animos, neglecta

honesta disciplina seruiles fieri & ad omnem nequitiam prostitui. Verè enim dicit poeta:

Neglectis urenda filix innascitur agris.

Ita enim omnino est, si agrum incultum reliqueris, inuenies ipsum filicis & tribuli feracem: ad eundem modum si puerorum ingenia inculta reliqueris, pestilentiæ & nequitiæ frugem copiosissimam metes.

Habemus quæ sint effrenis & pestilentis iuuentutis elementa, quibus posteri accedunt pessima eorum, qui simili edocti sunt ratione, exẽpla. Quid hîc quæso aliud expectari potest, quam quod de naphta ferunt, cui tanta (ait Plinius) cum igne cognatio est, ut flamma transiliat in eam undecunq; uisam. Quicquid enim uitij in alijs est, quorum consuetudine utuntur, hoc in illos ueluti flamma quædam grassatur, & si quid uirtutis reliqui est, depascit.

Vsq; adeo consuetudo & conuersa-

tio

tio malorum, pabulum est omnis nequi-
tiæ & effrenis libidinis. In hoc sodalitio,
exule uirtute, uoluptatis certamen ini-
tur. Hic pulcrum est poculis certare &
uincere. Maior gloria putatur esse, in po-
culis minimè succumbere, quàm hostem
fortiter repellere. Victores in hoc certa-
mine non minus prædicantur, quàm A-
chilles olim, quia Hectorẽ singulari cer-
tamine superauit. Breuiter, iuxta Isaiæ
dictum, uiros in ebrietate se prębent, atq;
ita Sarmacida spolia sine sanguine & su-
dore reportant.

Est & aliud certaminis genus, quo
alius alium uanitate, nouitate, precio, lu-
xuq; uestium superare contendit. Hîc
cinnemo uult esse postremus, Dij boni,
quanti inutiles fiunt sumtus, ut hoc
certamen mercatoribus est maximè Lu-
crosum, ita compendiosissima uia est ad
euacuanda stultorum marsupia. Taceo
alia certamina parum memoratu digna,
ad quæ non exigui sumtus requiruntur.
Quid tandẽ hic fiet: euacuatis marsupijs

curri-

currítur ad amicos, petitur mutuò pecunia, ut militibus Epicuri nihil desit. Hic si quis neget, quod petitur, hostem sibi parat. Si numerat, oleum igni addit.

Quid hic, quæso, pio homini faciendum est? gratis ne, an mutuo his pecunia dãda est? Nemo sanus gratis dederit, quia eleemosyna non luxui, non potationi, non aleæ &c: sed necessitati debetur. Parentes & cognati, qui hîc liberaliores uideri uolunt, & ministrant petentibus pecunias, instrumenta nequitiæ: perinde faciunt ac si furioso gladium porrigerent.

An mutuò his quicquam dandum erit? nequaquam, nullo enim iure nec diuino, nec naturali, nec humano obligaris ad pecuniam mutuò dandam ijs, qui ea in propriam perniciem abutuntur, imò non parum peccas, si hoc feceris. Nam qui occasionem damni dedit, damnum dedisse uidetur, quamobrem fit reus alieni peccati, ac si suum proprium onus sibi non satis esset. Quando enim delic-

tui

tuli isti, aduſuram pecuniam promtam inueniunt, profuſius conſumunt, donec exhauſtis facultatibus, ad inopiam non ſine familiæ, à qua originem ducunt, dedecore rediguntur.

Quocirca cùm intereſt etiam reipublicæ, honeſtas & præcipuè nobiles & antiquas conſeruari familias, non parum in rempublicam peccat, qui mutuando, occaſionem interitus honeſtarum familiarum præbet. Cordatus proinde, ac pius homo offenſa iſtorum leuium hominum nequaquam moueatur, nec communicet alienis delictis, nec præbeat occaſionem maioris profuſionis, ſed timeat Deum potius ac iuuet eos mutuo, quos Dominum iuuari iuſsit.

In quintum hominum ordinem referuntur, qui uirilem ætatem iam ingreſsi ſunt & mariti facti, quorum uitæ ſtudiũ poëta deſcribit his uerſibus:

Converſis ſtudijs ætas animuſq; uirilis,
Quærit opes & amicitias, inſeruit honori.

Hi, relictis iuuentutis ineptijs, ut

poëta

poëta teſtatur, nouis occupãtur ſtudijs: quærunt opes, amicitias expetũt, honoribus titillantur. Qui ſi iuſtam rationem uitæ inirent, & reuocarent ad calculum ſuas facultates, ſatis ad ſuum ſtatũ tuendum haberent. Verùm non contenti ſua mediocritate, ſublimiora quærunt, & non habita ſuæ mediocritatis ratione, maiora moliuntur, quàm facultates ferunt.

Tales igitur cùm pennis deſtituuntur, nihilominus cum aquila uolatu certare contendunt: neceſſe habent aliunde pennas mutuare, quas ipſi domi non habent. Quid his quæſo ineptius? quid temerarium magis? uident alios multò ſe ditiores, precioſas geſtare ueſtes. Quid hìc noſtri faciunt? ne uideantur minus, quàm illi nobiles, pecuniam mutuò ad uſuram petunt, ut habeant quò ſuum ſplendorem foueant & augeant. Mirantur aliorum magnifica palatia, in qua re cùm cedere ditioribus nolint, quouis modo pecunia quærenda eſt, ut ſimilia

palatia

palatia ipsi extruant. An non multò rectius facerent, si se suopte pede metientes, nidum sibi & suis pullis conuenientem pararent? an non ridiculum esset, si cassita cernens oloris nidum, similem sibi parandum duceret?

Fertur dictum Francisci regis Gallorum, imprimis uenustum, de nobilis cuiusdam domo magnificè & regio apparatu instructa. Nam cùm in domum introductus esset Rex, & expectaret nobilis, regiam de magnificentia structuræ uocem: tandem Rex de domo interrogatus iudicium respondit, pulcra quidem omnia & magnifica esse, sed pro tam parua auicula, nimis magnum esse nidum. Pulcrè quidem Rex, & salsè satis hominis ineptiam perstrinxit, & simul responso monuit, oportere quēlibet intra sui status & conditionis terminos manere, ultra quos citraue, nihil consistere rectè potest.

Contēplantur præterea alios magnas

ex

ex auro gestare catenas, nobilitatis & autoritatis symbola, quibus nisi similes, etiam in hac re fiant, suo honori male consultum putant. Quid hîc fieri necesse est? facultates tenuiores sunt, quàm ut tam preciosis & magnis catenis emendis sufficiant: quare aliunde aurum mutuo quærendum est, pro quo uel prædia opp pignoranda sunt, uel pecunia ad usuram accipiēda. Nā nemo his gratis dat, nemo mutuū debet gratuitū. Nā indigētibus fo lis, teste Christo, gratuita mutuatio debe tur. Syrac: 29. Proximo mutuū, tempor necessitatis eius, dato. Hîc apertè sapi ens, restringit mutuationis debitū ad ne cessitatis tempus. Hinc fit, ut interdum reditus uix soluendæ usuræ sufficiant. Maritus primùm catenatus factus, uxo ris amicū uultum frustrà expetit, priu. quam & illa catenis & alijs ornamentis innumeris fuerit exculta. Deinde filiæ matris ornatum ambientes, non cessant stultum patrem precibus solicitare, do nec & ipsæ catenatæ incedant.

Ani-

Animaduertunt præterea in magnorum hominum familijs, splendidiorem apparatum, in qua re nec ipsi extremos se esse patiuntur. Hîc comparanda sunt pocula deaurata, uina preciosa, anathemata domorum & ornamenta magnifica. His ita paratis, conuiuia magna instruuntur, ut splendor hîc etiam alijs innotescat.

Sunt etiam in hoc ordine hominum, qui suis prædijs & agris, unde possent suis pro sua conditione honestè uiuere, non contenti, de agrorum aliorum & prædiorum emtione cogitant, ut suis liberis amplius patrimonium relinquant. Verum cùm & hi destituuntur neruis, pecunia alicunde quærenda est, ut habeãt quo suam expleant auaritiam. Quid hîc faciet, qui pecuniam habet, qua illorum succurrere cupiditati potest? negare fortè inciuile erit: at dare, uel gratis, uel mutuò, nec mandatũ Dei, nec charitatis regulate cogit.

Quid igitur, inquies, faciam? Scit me

habere pecuniam, quam si non acceperit, clamabit se ab amico desertum, atq; ita negando quod petitur, pro amico mihi hostem creo. Licebit ne ergo mihi, pro mutuationis officio usuram pacisci, præsertim cùm petenti nec diuino, nec naturali iure, quod petit debeam. Paupe-ri debeo diuino & naturali iure eleemosynam. Indigenti uero, sed robusto, qui rem facere potest accepto mutuo, diuino & naturrali iure mutuum debeo. Hic si quod debeo non reddo, pecco, & si pro officio debito precium peto, uiolo regulam Christi & ius naturæ peruerto. Verùm hîc non obligor, nec diuino, nec naturali iure. Quare si quid hîc beneficij præstitero minus debitum, quid uetat gratiam pro beneficio pacisci? & iuxta receptam consuetudinem, de centum quinq; in singulos annos accipere dico usuram hîc propriè non committi, propterea quòd beneficium istud fuit liberum, ad quod nec diuino, nec naturali iure eras obligatus. Nam usu-

damnata uerbo Dei propriè cõmittitur, cum propter mutuũ, quòd diuino & naturali iure gratis debes aliquid ultra sortẽ, pro debito mutuationis officio petis.

Huc pertinet regula Gersonis: Omnis contractus qui ex suo genere, uel ex circumstantijs debet esse gratuitus, si interueniet pactum de recipiendo ultra sortem, efficitur usurarius, & propriè solus talis usura nominatur.

Ex hac Gersonis regula sequitur, non esse usurarium contractum, quem ex circumstantijs non oportet esse gratuitum. Quare si aliquid iuxta præfinitionẽ legũ accipio, pro non debito mutuationis officio, ut sit æqualitas, usurã non committo. Pauperi eleemosynam debeo, indigenti mutuũ debeo. Quare? quia lex Dei & ius naturę hoc postulat. At nõ indigenti, nulla lege mutuũ debeo. Si ergo cũ illo cõtraho, interposito pacto de recipiendo aliquid ultra sortẽ, non propriè cõmittitur usura, præsertim si seruatur æqualitas, quam magistratus statuit.

Quocirca probo in hoc contractu sententiam D. AEPINI, qui in psalmum 15. scribens, tres ordines hominum enumerat, uidelicet, mendicantium, reuera indigentium (qui tamen possunt pecuniam mutuò acceptam rem facere) & eorum qui sunt locupletes, habentq; unde honeste cum sua familia uiuerent, modò mediocritate sua essent contenti. De his tribus generibus eruditè disputat AEPINVS, ac tandem concludit, in tertio ordine non committi usuram, modo alioqui ab æqualitate non decedatur. Est autem naturalis æquitas, ut pro officio, quod iure nõ debemus, reddatur officium, ut fit æqualitas. De hac æqualitate audienda est definitio magistratus.

Rex laudatissimæ memoriæ CHRISTIANVS TERTIVS lege cauit, ne quis ultra quinq; in singulos annos ex centum accipiat. Hos ergo limites, qui transgreditur ab æqualitate discedit.

Huc libet asscribere regulam, quam Philippus Melanthon de hac æqui-

ret tradit: Sic Christianus, inquit, conscientiam suam erudiat, ut intelligat hæc concessa esse, quia Deus approbet leges & magistratus, hoc est, bonus & sapiens iudex, nec requirat punctum seu medium indiuisibile. Nam & ipsæ leges docent, medium sumendum esse ἐν πλάτει, id est, in aliqua latitudine, nec posse unam tantum formam in talibus negocijs, indiuisibiliter constitui.

Etsi autem non dubito hanc sententiam veram esse: tamen uelim pios, certas quasdam admonitiones semper in conspectu habere, quas paulo post asscribam.

In sextum hominum ordinem, mercatores repono, eos uidelicet, qui tantas non habent facultates, unde possunt se honestè sustentare, sed ex mercatura uiuunt & ex rerum commutatione, exportatione, importatione rem faciunt: unde sæpe non parum lucrantur. His sæpenumero usu uenit, ut mutuò quærant pecuniam, sine qua suam mercaturam me-

diocrem excrcere non possunt.

Hîc quæritur num creditori licet paciſci uſuram: reſpondeo ſimpliciter nõ licere. Debes enim iure diuino & naturali fratri indigenti mutuationis officiũ. Nam cùm is reuerà indiget, & tu potes ſine tuo certo damno iuuare, peccas niſi iuuas, & peccas ſi aliquid acceperis ultra ſortem, pro debito mutuationis officio.

Verùm hîc quatuor obſeruationes notandę ſunt. PRIMA, mercatores prę diuites non contentos mediocritate concernit. SECVNDA, ad ſocietatem pertinet. TERTIA ad pupillorum hęreditatẽ. Quarta, ad illud quod intereſt refertur.

Quantum autem ad PRIMAM obſeruationem attinet, ſciendum eſt quòd nemo prædiuiti mercatori, de cuius facultatibus amplis certò conſtat, iure diuino & naturali mutuum debeat. Mutuum enim debitum neceſsitati, & non auaritiæ inſatiabili ſeruire debet. Quare cum hoc genere hominum agere licet, ſecundum

endum regulam quàm cùm de quinto hominum ordine ageremus tradidimus.

Secvnda obseruatio, quam ad societatem pertinere diximus, hoc pacto se habet. Petit mercator à te mutuò pecuniam & tu stipularis partem lucri in eum euentum, si quid lucri ex tua pecunia perceperit promissor.

Hic quæritur num liceat tibi partem lucri paciscí. Respondeo, licet quidem, modò partem periculi in te receperis. Nam hoc cùm fit, in usuræ rationem non cadit. Poteris ergo in annum ex centum quinq; petere, tanquam partem lucri, modò tu uicissim quinque ex centum, si damnum patiatur, de sorte decidere patiaris. Nam qui paciscitur tantum cum conditione lucri, & damni uult esse expers, usuram reuerà committit. Quare diuini & naturalis sententia reus peragitur.

Quantũ aũt ad pupillos attinet, tutores

pupillorum, ne paulatim consumatur hæreditas illis concredita, mutuare possunt petentibus, præsertim ditioribus pecuniam pupillorum, & pro mutuationis officio & usu pecuniæ, quod æquum est, postulare, hoc est, iuxta præfinitionē magistratus, quinq; ex centum in singulos annos. Hic contractus nequaquam in rationem usuræ cadit. Nam nec tutores de alieno obligantur mutuare, nec qui mutuum accipiunt, ubi nulla, nec diuina, nec naturalis præcessit obligatio seu debitum, iustè gratitudinem pro accepto beneficio recusare possunt.

Obseruatio ad id quod interest pertinens, etiam usuræ rationem impedit. Nā si dilata solutione mutui, damnum patiatur creditor, æquitas postulat, ut debitor damnum resarciat. Atq; hoc uocant INTERESSE, quod dicunt oriri, aut propter damnum emergens, aut propter lucrum cessans. Nam si debitor non soluerit mutuū, tempore solutioni præfinito, naturalis requirit æquitas, ut damnū

quod

quod inde creditori acciderit, resarciat debitor. Simile est de lucro cessante.

Verùm hic caueat creditor, ne dolosis utatur lancibus. Quare adhibēda est charitas, omnium contractuum iustissima norma. Hæc si syncera fuerit, facile æqualitatem inueniet.

Cæterùm si alij præter enumeratos ordines hominum offeruntur, non erit difficile ex prioribus regulis iudicare, quid de illis statuendum sit. Nam aliqua similitudo in illis, facile deprehendetur, cum superioribus ordinibus, quæ quæstionem soluet.

DE QVARTO.

Sequitur ut de quarto partitionis nostræ membro, uerba faciamus, quod continebit admonitiones quasdam, quæ pijs tanquam consultationes quædam, non solum in hoc usurario contractu, de quo iam satis multa diximus, esse poterunt: uerumetiam in omni contractu, nos in officio continebunt, modò illis

pias aures adhibuerimus.

PRIMA, Paulus. 1. Timot. 1. ait: Finis præcepti est charitas ex corde puro, conscientia bona, & fide non simulata.

Diximus suprà ideo prohibitas esse usuras uerbo Dei, ne charitas inter homines lædatur. Hæc autem Pauli regula uult, ut charitas illa ex puro fonte cordis proficiscatur. Cauendum est itaq; , ne dum externè præ te fers charitatem proximi, cor immundum sit, cuius sordibus conspurcatur officium, quod proximo præstare uideris.

Conscientiam præterea bonam requirit charitas, uidelicet ut coram Deo uerè testari possis, quòd in omnibus actionibus gloriam Dei & commodum proximi quæras sine fuco & simulatione. Vbi enim est fucus & simulatio, charitas exulat, conscientia uastatur, fides perijt. Ex quo sequitur, nihil rectè fieri. Sit ergo hæc Pauli regula nobis perpetuò in conspe-

ctu

ctu, ad quam noſtras actiones omnes, tanquam ad lydium lapidem reuocatas exploremus.

Secvnda, ab omni ſpecie mali (ait Apoſtolus 1. Theſ. 5.) abſtinete. Hæc regula imprimis neceſſaria eſt. Monet enim ut non tantum quæ reuera mala ſunt fugiamus: uerumetiam ut à ſpecie mali omninò abſtineamus, hoc eſt, ut quicquid uel ullam mali ſpeciem præ ſe fert fugiamus. Hæc regula admoneat pios, ut non ſolùm ab illis contractibus abſtineant, qui ſunt reuera mali & illiciti: Verumetiam ab illis qui aliquam mali ſpeciem præ ſe ferunt.

Tertia. Paulus Heb. 13. ait: Sint mores alieni ab auaritia. Hoc præceptũ non ſolùm ad animum pertinet, uidelicet ne animus fœdiſsimo auaritię idolo prophanetur: Verumetiam ad mores externos. Sic enim uult nos uiuere, ut nemo nobis notam auaritiæ inurere poſsit.

Nam

Nam ubi mores testantur de cordis auaritia, pietas & fides procul dubio exulant.

Quarè non temerè est, quòd Dauid precetur, cùm inquit: Inclina cor meum Deus ad testimonia tua & non ad auaritiam. Hîc Dauid obedientiam erga Deum, & auaritiam inter se opponit, significans eam esse earum conditionem, ut ubi una sit, altera esse non possit. Si ergo cor auaritiæ labe infectum est, syncera erga Deum religio nequaquam illic esse potest. Si auarus interdum aliquam erga Deum obedientiam præ se fert, mera est hypocrisis. Contra autē, si cor Dei amore & eius religione ardet, auaritia illic loci non habet. Quæ enim consensio est idolo auaritiæ, cum templo Dei?

Præterea quia sanctissimus Rex Dauid, à Domino cor suum inclinari ad testimonia Dei petit, & non ad auaritiam: apertè indicat, quòd cor suapte sponte ad auaritiam feratur, & non possit seipsum ab auaritia uindicare, nisi Deus manum

manū adhibeat. Præceptum igitur Pauli: Sint mores alieni ab auaritia, pios per petuo habere ob oculos uelim, & hanc orationem Dauidis: Inclina cor meum ad testimonia tua, & non ad auaritiam, seriò precari. Quod si fieret, minus inter pios de usuris decertaretur.

QVARTA, Paulus uult Christianos ita uiuere, ne nostrum bonum malè audiat inter gentes. Iam certum est quod usurarius cōtractus infamis sit apud Turcas, & omnes prophanas gentes. Quid ergo de Christianis dicturi sunt, si nos uiderint contendere cum prophanissimis gentibus, atq; eas iniustis contractibus superare?

Hæc profectò merito omnes pios monere deberent, ut potius minus splendidè uiuerent, quàm nomen Dei, ac Euangelium Christi prophanorum hominum conuitijs exponerent. Deceret nos omnibus pietatis & honestatis exemplis inuitare eos, ut Christum unà nobiscum colerent ac saluarentur, sed Dij

boni

boni quid sit? sub Christiano nomine in multis Turcicus animus latet.

QVINTA, Paulus iubet nos scandalum uitare, ne infirmi factis nostris offensi impingant. Neq; hoc uult tantum ut à malis per se abstineamus, uerumetiã à rebus licitis. Licuit Paulo per Christianam libertatem carnibus uesci, sed quid ait? priusquam offendam fratrem meum, non uescar carnibus in æternum. Vsq; adeò uerè piorum officium est, non solùm cauere, ne se ipsos inquinent ulla peccati labe, uerumetiam ne ullis occasione sint alijs lapsus causa, ut de nobis minus syncerè iudicent.

SEXTA, Nominis Christiani dignitas, nobis in mentem ueniat. Quod profecto nomen meritissimè inter Christianos sanctum esse oportet. Homini ex nobili & clara familia nato, turpe est seruilia & contemta obire ministeria, ne labem aliquam nobilitati familiæ aspergat;

gat: multò minus decet, ut filij Dei aliqua labe se polluant, quæ posteà in totam familiam Dei redundet.

Septima, Pœna in hæredibus metuenda est, si quis enim iniustis lucris, multa suis hæredibus congerit, pœnam non euadet. Deus enim, aut in conspectu illorum, hæredes quos sperabant è medio tollit, ut uideant suam uanitatem & resipiscant, aut hæredes punit desertione, sinens eos in uaria stagna ruere, ut quæ iniustè fuerunt conquisita, turpissimè dissipentur & pereant, in certam hæredum perniciem.

Octava, cogitatio etiam hæc subeat animum: Sæpe pauperum & honestorum parentum liberos uenisse ad dignitates maximas, idq; non diuitiarum subsidio, quas nullas habuerunt, sed præclararum artium honestatis, sapientiæ & prudentiæ beneficio. Exempla nominare etiam domestica possem, sed ea

quia

quia nota sunt, prætermitto. Contra autem, multos quibus ingentes opes à maioribus relictæ erant, uel ad extremã paupertatem suo uitio, redactos esse: uel instar pictarum tabularum, ad nihil utiles in republica fuisse. prorsus similes procis Penelopæ & porcis Epicuri, fruges consumere natis.

Hæc cogitatio pios admoneat, ut potius liberis uirtutem & bonum nomen relinquant, quam multas diuitias sine uirtute, quibus rarò nisi in propriam perniciem liberi uti solent. Memorabile dictum est hoc Ciceronis: optima hæreditas quæ à patrib: traditur liberis, omni patrimonio præstantior est, gloria uirtutis rerumq; gestarum. Et rursus: nullum monumentum pater clarius relinquere potest, quam effigiem morum suorum, uirtutis, constantiæ, pietatis, ingenij, filium.

Has admonitiones, spero me utiliter disputationi de usuris addidisse, rogo autem pium lectorem ut eas pie exa-

minet,

meri, ac eas in omnibus negocijs in consilium adhibeat.

DE QVINTO.

Restat, quod postremo loco proposuimus, de officio ministrorum uerbi, quorum est uice Dei, tanquam precones ab eo missos, exaltare uocem ut tubam, & peccata hominum accusare, nulla personarum habita ratione: non tamen sine spirituali prudentia, qua cauetur ne quid ita minus decenter.

Primùm itaq; ministri Euangelij, omnem iniustum contractum, adeoq; ipsam uerbo Dei damnatam usuram, seriò & grauiter damnent, ac ostendant nullū iniustum contractum cum uera pietate fieri posse.

Deinde uideant diligenter, ne aut temerè, aut nimis acerbè iudicent de contractibus, quos magistratus approbat. Discernant inter eos contractus, quos Deus claro suo uerbo prohibuit, & eos quos leges propter conseruandam hu-

manam societatem sapienter ordinat, nec prætextu usurarum, eos contractus damnent, qui reuerà usurarij non sunt.

Præterea errores manifestos in contractibus, disciplina Ecclesiastica emendent, quantum possunt, idq; non priuato impetu, sed maturo & prudenti consilio, ne plus noceat intempestiua correctio, quàm prosit.

Ad hæc etiamsi omnia uitia in contractibus, præcones Dei corrigere nõ possunt, non tamen turbent Ecclesiam, sed Deo rem commendent, ac orent ut ipse manum adhibeat. Diligenter quoq; cauendant, ne imprudenter extremum Ecclesiæ remedium adhibeant. Nam ubi periculum est schismatis, lata in multos excommunicationis sententia, omnino ab excommunicatione abstinendum iudico. Eradicanda sunt quidem zizania (ut inquit Augustinus) modò triticum una nõ euellatur.

Quare in emendandis moribus, sequantur hanc moderationem; Grassantia

multorum scelera, non imperio, sed consilio corrigant, non minando sed monendo sanent. Contrà autem, paucorum scelera seueritate castigent, ne uires sumãt, & multitudinem inuadant. Quod cùm fit difficilius corriguntur.

Postremò, diuites diligentissimè admoneant, ne suis se sinant diuitijs inescati, caueantq; ne fallacibus stultæ carnis argumentis decepti, amittant fidem & in laqueos Satanæ incidant. Admoneant quoq; non frustrà Dominum dixisse: difficile esse diuitem intrare in regnum cœlorum. Subinde uerum diuitiarum usum ipsis commendent: ostendant Christum ideò uoluisse in Ecclesia quædam corporis sui membra egena & nuda esse, ut diuites tentaret, an se in suis membris ex uera fide diligerent nec ne.

Hæc simplicioribus ministris Euangelij consilia dedimus, alij per se, præsertim qui in ministerio exercitatiores sunt, facile intelligunt, quomodò uerbum Dei sit secandum ac applicandum.

DE COMMODATIONE.

COMMODATIO sequitur, quæ non transfert rem in Dominium accipientis, sicut in superioribus contractibus fit, sed tantum usum rei transfert, idq; ad tempus, ut suo tempore res eadem numero restituatur. Habet hic contractus nomen ab usu, quia res quas accipimus commodato, nobis commodum aliquod & utilitatem adferunt. Hic contractus carere fraude, cùm in commodante, tùm in accipiente, & se legi charitatis subijciat.

DE CONDVCTIONE ET LOCATIONE.

Contractus CONDVCTIONIS ET LOCATIONIS consuetudini ac conditioni temporis & loci subijciantur, ita tamen ut à lege charitatis non discedatur. Qui igitur locat usum rei suæ, aut operis suam, iuxta consuetudinem regni & aliis circumstantias, precium à conductore petere potest. Qui si non soluerit, iniustus est.

Huc

Huc uidetur mihi pertinere contractus, quem ἐμφύτευσιν uocant Iurisconsulti, hoc est, implantationem, ex eo ita nominatā, quòd sterīles agros olim conducentes, eos implantatione, hoc est, cultura meliores facerent, & Dominis pro usu agrorum, certum censum annuū soluerent, iure tamen possessionis apud locatorem manente. Hæc species deinde ad genus translata est: hoc est, ad quorūlibet agrorum & domorum locationem: unde prædia dari in ἐμφύτευσιν dicuntur.

Consistit itaq; hic contractus ἐμφυτεύσεως, in rebus soli & fundi duntaxat, in quo fructus ex cultura conductori prouenit: sed locator manet uerus fundi Dominus, ideoq; iuxta leges & consuetudines regionum, partem fructus ex contractu sustè percipit.

DE CONTRACTV SOCIETATIS.

In contractu, quem uocant, societa-

tis, hoc est, ubi uel unus ponit pecuniam tantum, & alter tantum operam, uel unus ponit pecuniam & operam, alter tantum pecuniam aut operam, uel uterq; ponit pecuniam & operam, sed non æqualiter. Sequendum est fundamentum sine fraude: Quod tibi non uis, alteri ne feceris. Qui contra hoc fundamentum, socium deceperit, iniustus est & societatis fraternæ iura uiolauit.

Hæc de contractibus placuit adijcere, ut piorum conscientijs in hac re consulerem. Plena doctrina de contractibus, petatur ex Iurisconsultorum scriptis, qui ex professo de hisce rebus copiosissimè ut artifices scribūt, nec est quod quisquam putet sapientum gubernatorū placita de contractibus, aut alijs officijs in uita utilibus, aduersari Euangelio. Nam, sicuti suprà testati sumus, Euangeliū politicas ordinationes nequaquā abolet. Dominus enim dicit: Regnum meum non est mundanum. Relinquit ergo Euangelium cuilibet regioni suas leges, quæ non

dentes à decalogo, faciũt ad conser-
uationem politiarum & familiarum.

Quapropter pij tutissimè sequi pos-
sint hanc regulam: Omnes contractus
approbati à legitimo magistratu, penes
quem summa est gubernatio, liciti sunt
Christianis, modò non apertè pugnent
cũ lege naturæ, aut Decalogo. Atq; ideo
pij liberè ijs bona conscientia sine offen-
sione Dei uti possunt, non secus atq; his
rebus elementis, quæ nobis communia sunt
cum pijs & impijs.

QVAESTIO
DE BONIS ECCLESIASTICIS.

Num liceat hæredibus bona repetere, quæ
ipsorum maiores contulerunt Ecclesiæ,
pro celebrandis missis: cessantibus iam,
imò abolitis missis?

Discernendũ est inter finem proximũ
donationis, & finem ultimum. Finis pro-
ximus donationis fuit celebratio missæ,

qui cùm impius sit, rectè faciunt, qui missandi ritum abolent. Finis ultimus fuit conseruatio cultus Dei. Huic fini, quia bonus & sanctus est, destinari debent bona olim ad celebrationem missarum collata.

OBIECTIO.

Obijciunt, in plerisq; donationum diplomatis, expressam esse hanc clausulam: Si cessauerit talis missandi uel canendi ritus, habeant hæredes potestatem recipiendi ea bona, quæ ipsorum maiores contulere ad missas, &c.

RESPONSIO.

Qui ea bona contulerunt Ecclesiæ, errarunt in specie, nõ in genere. Species est, missæ celebratio. Genus est, cultus Dei. Hæredes proinde rectius edocti, deberent corrigere maiorum errata, & ad uerũ cultum Dei conuertere, quod prophanationi cœnæ Dominicæ destinatum fuit. Imò hoc potius pij magistra-

tus

tus officium esse statuo, ne priuatorum auaritiæ ista bona exponantur.

Flora meretrix Romana contulit suas facultates (quas habuit plurimas) ad conseruandum spectaculum annuũ Romæ. Hoc spectaculum cùm grauissimus censor Cato abolendũ censuerit propter turpitudinem & obscœnos meretricum gestus, hęredes Floræ abolitis ludis Floralibus, repetunt bona à Flora collata. Verùm Romanus Senatus sapientissimè iudicauit, non debere ista bona ad hæredes redire, sed spectandũ esse consilium Floræ legantis, cuius ultima uoluntas fuit, ut sua bona quę legârat, seruirent Romanæ reipublicæ. Flora etenim etsi in specie errauit, non tamen in genere. Proinde ut genus cõseruaretur, Senatus Romanus rectissimè iudicauit, Floræ legata non reddẽda esse hæredibus ea petẽtibus propterea quòd ludi florales essẽt aboliti.

Ad eundem modum legata ad conseruandas missas, non sunt restituenda hæredibus, cessantibus missis, sed con-

uertenda sunt ad genus, ut seruiant Ecclesiæ Dei, hoc est, attribuantur docentibus, discentibus, emeritis & Ecclesiæ custodibus & defensoribus. Non debent hominum uoluptatibus seruire, sed necessitatibus Ecclesiæ. Sic etiam iudicat Bartolus præstantissimus Iurecõsultus, qui hunc ipsum casum de missis attingit in commentarijs suis, in legem, De eo quod legatum est ciuitati.

Verba Bartoli hæc sunt: Si testator reliquit centum pro missis canendis, quæ missæ non possunt cantari propter interdictum: illud relictum debet conuerti in alium usum.

Thesin seu generalem sententiã paulò ante ponit idem Bartolus: Si, inquit, testator adijcit modum seu conditionem impossibilem (scilicet propter interdictum) ob aliquem finem licitum & honestum, tunc si non potest impleri eo modo, quo dixit, conuertitur in aliũ usum licitũ.

Vtranq; tabulam uiolant raptores bonorum Ecclesiasticorum. Sunt enim & impij contra Deum, & crudeles aduersus Ecclesiam & eius membra. Nam & quæ data sunt in cultum diuinum, sacrilegè sibi usurpāt, & egena Ecclesię membra uictu spoliant.

Cicero affirmat illum grauius delinquere, qui è publico ærario aliquid surripit, quàm qui priuati hominis thesaurum furto aufert. Proinde longè grauius eos peccare certum est, qui Ecclesiæ bona per iniuriā occupant. Damnat eos, qui ex suo pauperibus nihil conferunt: quomodo putabimus eos iudiciū Dei euasuros, qui aliena tapiunt? Damnatur uoce Dei, qui æquo animo iniuriā non fert: quomodo fieri potest, ut pœnas euadat qui mēbra Christi iniuria afficiat? Deus non fallitur Sophistica, non recipit excusationes iniquas. Quocūq; se uertūt raptores bonorū Ecclesiasticorū, nō possunt effugere, gn septimi precepti reatu obstringātur. Nā cùm Dominus dicit: NON

FVR-

FVRTVM FACIES, prohibet ne ex alieno quicquàm iniustè nobis ullo iuris prætextu uendicemus.

Etsi autem multi hodie bonis Ecclesiasticis per iniuriã occupatis, suauiter uiuere uidentur, tamen testem conscientiam secum circumferunt, quæ tametsi ueluti cauterio usta, ad tempus securè conquiescit: tamen aliquando, idq; in mortis articulo, tanquam è graui somno excitata, instar mille testiũ erit, & grauius afflget cor, quàm ulla laceratio corporis corpus cruciare potest. Tũ uerè sentient, non de nihilo fuisse, quod olim ab Isaia dictũ est, cap. 33: Væh qui prædaris, nonne & ipse prædaberis? & qui spernis nonne & ipse sperneris? cum fatigatus desieris contemnere, contemneris?

Hæc Prophetæ uerba tandem sentiũt non euanescere in aerẽ. Putant isti, nihil periculi esse, propterea quod non sentiat præsentem Dei manum, quos tamen historia populi Iudaici satis docet, sacrilegorum pœnã non auferri, etsi ad tempus differ-

differtur, propter eos quos Dominus sua bonitate inuitat ad pœnitentiam.

Prophetarum uocem contemsit populus Iudaicus, sed tandem impleta mẽsura peccatorum, prorsus interijt. Hodie sonat uox Dei in auribus nostris & securè dormimus in utranq; aurem sine pœnitentia, sed expletis peccatis nostris, etiam in nos iram suam Dominus effundet, atq; tum futurum est, quod prædixit Ieremias: Sicut fur deprehensus in furto confunderis. Quo uerbo significat spiritus Dei, fore ut iustas pœnas aliquando luant, qui uerbum Dei pro ludibrio habentes, omnia quæ suadet animi libido sibi licere putant.

QVAESTIO

DE RECTO VSV BONORVM ECCLESIASTICORVM.

Quia bona Ecclesiastica longo tempore fuerunt in magno abusu, iustè quæritur quisnam sit uerus & legitimus usus

usus bonorum Ecclesiasticorum & quibus conferri debeant ista bona. Nō enim propterea aliquis iure occupat Ecclesiæ bona, quia uel cucullum gerit, uel boz in templo, uel etiam linguam Latinam nouit, in quo errore hactenus fuerunt multi. Sed hîc audiendi sunt sancti Patres, qui sincero iudicio iudicare possunt. Gratianus Augustini sententiam referens, testatur stipendia Ecclesiæ, hoc est, annuos reddítus & donationes, in quatuor debere distribui partes. Quarum PRIMA detur Episcopo & familiæ eius, propter officium & hospitalitatem, non ad luxū, non ad alendam superbiam, nō ad torques aureas, nō ad aureos annulos, non ad caballos alendos, non ad ullum strepitū: sed ad necessariam & honestam sustentationem, ne diuitijs huius mundi inescatus, obliuiscatur officij. Quemadmodum olim factum esse in hoc regno satis notum est.

SECVNDA pars detur clero, cuius tres ordines facio. In primo sunt doctores

tes & discentes in Ecclesia, quibus sum-
mus debentur, ne paupetrate coacti abij-
ciant officium. In secundo sunt, qui olim
seruierunt Ecclesiæ, sed nunc uel morbo
affecti, uel senio confecti, officium facere
non ualent. His liberalis debetur ex bo-
nis Ecclesiæ sustentatio. In tertio ordi-
ne sunt, qui suis laboribus in studijs Ec-
clesiæ utilibus hoc merentur. Hi ueluti
uilites in usum Ecclesiæ foueri debent.

Tertia pars conferatur pauperi-
bus, qui uerè sunt tales, quorum trans-
acta uita honesta fuit. Nam qui scor-
tando & potando sua bona absumserunt,
indigni sunt qui Ecclesiæ bonis alantur.
Hi mendicitate uictum quærant.

Qvarta pars templis & domorum
fabricæ reseruetur.

Hæc Augustini sententia, de parti-
tione bonorum Ecclesiasticorum pia &
uera est. Non uult sanctus ille uir bonis
Ecclesiæ ali canes & meretrices, non uult
ociosos uentres & ignauos fucos bonis
Ecclesiæ inpinguescere, non uult agmina

Mona-

Monachorum, inutilissima terræ pondera, delicatè uiuere ex bonis Ecclesiæ, non uult fumos & boatus uendi pro Ecclesiæ thesauro, sed iustam dispensationẽ requirit iuxta proportionem Geometricam, quæ rationem officij & laboris habet in assignandis stipendijs.

Etsi autem hanc sententiam Augustini, de partitione bonorum Ecclesiæ probo, tamen hoc iusta ratione addo. Primum quia Episcopis non congruunt politica imperia, licet pijs regibus & principibus imperia, ditiones, iurisdictionem ciuilem, exercitus Episcoporum ad se transferre, modò ea conuertant in Ecclesiæ Dei conseruationem, hoc est, pij regibus & principibus licet se istis bonis munire, ut habeant quo tueantur Ecclesiam aduersus hostes, & quo munifici esse possint erga pios exules & alios de Ecclesia & republica bene meritos.

Quòd autem rectè dicimus Episcopis non congruere politica imperia, id satis ostendunt dicta, quæ discernunt ministerium

sinium Euangelij, & politica imperia. Sicut pater meus misit me (ait Dominus) ita ego mitto uos. Regnum meum non est de hoc mundo. Reges gentium Dominantur, uos autem non sic. Arma militiæ nostræ non sunt carnalia.

Sed Papistæ obijciunt donatas esse Romano Pontifici à Constantino certas prouincias. Si demus hoc uerum esse, etsi est falsissimum, tamen etiamsi delata esset potentia illa Syluestro, non licuisset eam ipsi accipere in ea functione, in qua erat, & successoribus tradere. Quia unusquisq; debet officia suę uocationis facere, iuxta dictum: In hoc sitis ambitiosi, ut sitis quieti & faciatis PROPRIA. Episcopus debet docere, Rex gubernare exercitus, stipendia, bella, pacem corporum. Non sunt igitur hæc mandata pastori, sed unusquisq; suo loco memor suæ regulæ, PROPRIA FACITE. Item, Vnusquisq; sicut eum uocauit Deus, ita ambulet. Item, Quæ tibi Deus præcepit, ea sanctè facito. Dictum

ctum itaq; VOS AVTEM NON SIC: non tantum ita intelligatur, quod cum ministerio Euangelij, non tradit Christus politicam potestatem, sed etiam ne accipiatur & exerceatur à tenente ministerium.

Cùm Pontificij obijciunt responsum Domini, ad dictum, ecce duo gladij hic, satis declarant se sophisticè agere. Nam cùm ille respõdet, satis est, significet querelam de duplici genere hostium. Satis est & Pontificũ & Pilati gladios aduersus uos stringi. Hinc extra omne dubiũ cõcluditur non congruere Episcopis & pastoribus imperia politica. Piè igitur & rectè CHRISTIANVS TERTIVS, Rex Daniæ fecit, cùm Episcoporum principatus ad se transtulit ad conseruanda Ecclesiæ studia necessaria & ad reprimendos hostes Euangelij.

Deinde ubicunq; adhuc uberiores Ecclesiæ sunt redditus, & ubi bene prospectum est ijs, de quibus dictum est, debet pius Rex seu princeps tanquã œconomus & nutritor Ecclesiæ, bonorum

quæ

que supersunt rationem habere, ac imprimis cauere, ne ab ociosis uentribus, qui nec seruierunt unquam, nec seruiunt, nec seruire possunt Ecclesiæ aut reipublicæ, bona Ecclesiæ occupentur. Nam ut superior Dominus defensor est aliorum publicorum bonorum: sic est defensor Ecclesiasticorum bonorum.

Et ut Regis interest, si ciuitas bona fisci malè administrat, curare ut diligentius & utilius collocentur. Ita de facultatibus Ecclesiasticis interest Regum & principum curare, ut quæ hactenus seruierunt superstitioni, iam ueris usibus applicentur.

Verùm interim caueat quisque, ne prætextu pietatis ad luxum & prophanos usus bona Ecclesiæ conuertat.

Patientes igitur estote fratres usq; ad aduentum Domini.

Ex obiurgatione diuitũ, infert adhortationẽ ad pios pauperes, ut cùm uideãt

qualis sit exitus futurus eorum, qui diuitijs suis in hac uita abutuntur: potius patienter ferant præsentes ærumnas, quàm ut uelint diuitias diuitum, cum salutis periculo expetere. Estq; hæc exhortationis propositio.

Ecce agricola expectat preciosum fructum terræ, cum patientia super eo, dum accipiat pluuiam matutinam & serotinam. Patientes igitur estote & uos confirmate corda uestra. Quoniam aduentus Domini appropinquat.

Prima propositionis ratio ab exemplo agricolarum sumitur. Quemadmodũ agricolæ laborantes in serendis agris & parandis, patienter expectant fructum: ita pij per patientiam expectare debent finem fidei, qui est salus animarum. Pluuia matutina dicitur, quæ in uere decidit iacto iam primùm semine in terram. Serotina quæ in autumno cadit plenis aristis, unde grana turgescunt & redduntur maiora.

maiora. Ratio appellationis est, quòd totum tempus quo semen in agris est, conferatur diei uni. Huius principium est uer, & finis autumnus.

Ne ingemiscatis alius aduersus alium, fratres, ne condemnemini. Ecce iudex ante ianuam astat.

Secunda ratio à pœna impatientiæ. Gemitus nomine intestina quædam querimonia notatur, quę ex impatientia proficiscitur. Ad ianuam astare, est in propinquo esse.

Sumite pro exemplari, fratres mei, afflictionis & patientiæ Prophetas, qui loquuti sunt nomine Domini.

Tertia ratio ab exemplo Prophetarum, qui etsi uice Domini in annũciando uerbo functi sunt, non tamen erant immunes ab afflictione, in qua summam patientiam declarârunt. Vide Hebr. 11.

Ecce beatos ducimus eos qui sustinent.

Quarta ratio ab adiacentibus. Beati dicuntur qui patiuntur, Matt. 5. Igitur

patienter præsentes afflictiones ferre oportet. Sunt autem duobus modis BEATI, sensu & euentu. Sensu quidem quia reuera sub cruce sentiunt præsentiã Dei consolantis sc. *Euentu uero quia uere liberabuntur iuxta promissionem Christi*, Matt. 5.

Tolerantiam Iob audistis & finem Domini uidistis.

Quinta ratio ab exitu præsentium ærumnarum, quem ostendit proposito illustri exemplo sancti Iob. Iob supra modũ afflictus erat, sed finis Domini, id est, exitus quem Dominus dedit, fuit lætissimus. Nam afflictionis tempore superato, consolationem accepit & glorioſe ab omnibus afflictionibus suis liberatus est. Atq; ita in præsentibus ærumnis, oculi nostri non tam in has miserias, quàm in earum lætum exitum defigendi sunt.

Nam ualde misericors est Dominus & commiserans.

Quintæ rationis confirmatio est, ab affectu

affectu Domini erga eos, qui patienter in fide afflictiones sustinent.

Quia sæpe misericordiæ Dei idq; me-ritissimè fit mentio in scripturis, & Deus ipse prædicatur misericors & miserator. (Misericors quidem, quia uerè afficitur nostris miseriis & ueluti compatitur nobis. Miserator uerò, quia nobis miseris manum porrigit, noscq; ê miseria liberat) uolo breuiter recitare, quæ nobis in mentem uenire debent, quoties misericordiæ Dei erga nos fit mentio.

Primum, obiectū misericordiæ cogitandū est, quod est miseria generis humani, qua totum genus humanū est in se miserimè perditum, subiectum Tyrannidi Diaboli, obnoxium omnibus calamitatibus, spiritualibus & corporalibus.

Secundo, huius miseriæ causa cogitanda est, quæ est peccatum, res omnium tristissima & turpissima, cuius iustissima pœna est animarum & corporum perpetuus cruciatus.

Tertio, cogitanda est immensa philan-

thropia Dei erga genus humanum, quòd Deus non abiecerit prorsus hominem, propter tantam turpitudinem & fœditatem.

Quarto, antilytron cogitetur, hoc est, uictima filij Dei, qua succurritur miseriæ nostræ, & peccatum expiatur. Huius antilytri cogitatione, sancti patres in suis sacrificijs se consolati sunt. Ad hoc antilytron respicit Dauid, quoties in Psalmis implorat misericordiam Dei, id quod satis indicat Psalmus, 50. ubi proponit precationẽ suam his uerbis: Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam, secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitates meas. Cùm dicit, dele, respicit ad sanguinem mediatoris, sicut apertius indicat in septimo uersu, ubi meminit expiationis, ita enim ait: expiabis me hyssopo & mundabor.

Quinto, pœnitentia seu conuersio hîc requiritur, sine qua istius ineffabilis precij, uictimæ filij Dei non reddimur

partici-

participes. Huc pertinent multa Prophetarum dicta.

2. Paral. 30. Pius & clemens Dominus, Deus uester, & non auertet faciem suam à uobis, si conuersi fueritis ad eum.

Iere. 3. Conuertimini filij reuertentes, & sanabo auersiones uestras.

Idem. 18. Conuertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus uestris, & non erit uobis in ruinam iniquitas.

Ad hanc conuersionẽ inuitat Euangelium: Pœnitentiam agite, appropinquat enim regnum cœlorum. Et Christus ipse ait: Non ueni uocatum iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.

Sexto, perpetua gratitudo in tota uita cum prædicatione gloriæ Dei requiritur, & sancta quædam sollicitudo adhibenda est in regendis moribus, ut corde, ore, lingua & tota conuersatione Dei misericordiam prædicare uideamur.

Septimo. Quia ingens imbecillitas est nostra, quæ nunc particularitatis,

nunc indignitatis noſtrę cogitatione augetur: cogitandum eſt quòd miſericordia Dei non claudatur angustis limitibus, nec ſuperetur magnitudine peccatorum noſtrorum, ſed quòd extendatur ad omnes fines orbis terrarum, & abundet infinitis modis ſupra peccatum. Beata uirgo in hunc modum canit: Miſericordia Dei in generationes generationum timentibus eum. Et Petrus ait: Deus longanimis eſt erga uos, non uolens ullos perire, ſed OMNES recipere ad pœnitentiam.

De hac ditiſsima Dei miſericordia, Diuus Cyrillus in hunc modum ſcribit: Mons oliueti altitudinem & copiam diuinæ ſignificat miſericordiæ, per filij Dei in carnem aduentum nobis affluenter oſtenſæ. Nempe OLEI nomine in Scripturis, Dei miſericordia ſæpius exprimitur, quod illius natura, huius conditioni congruat. Superfertur enim oleum cæteris liquoribus, atq; ſupernatat: ita miſericordia omnibus ſupereminet Dei operibus,

operibus, & plus cæteris in homines elucescit. Misericordia enim superexaltat iudicium: & miserationes eius super omnia opera eius. Insuper oleum dolores uulnerum mitigat, & sanat tumores ac ulcera: Dei uerò misericordia plagas animæ nostræ curat, omnemq; depellit languorem peccati, ut canit Propheta: Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas, qui replet in bonis desiderium tuum, qui coronat te in misericordia & miserationibus. Demum qui palestram subire debebant, aut luctam, oleo delibuti prodibant in medium, quò eorum corpora ad id genus certaminis essent accommodatiora. Sic in acie contra aëreas potestates certaturis, suam Deus misericordiam elargitur, ea nos præuenit, suggeritq; uires, quibus in tam difficili prælio ope sua muniti, tandem uictores euadamus. In te (dicit Propheta) eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum. Et iterum: Dominus illumi-

illuminatio mea & salus mea, quem timebo? Dominus protector uitæ meæ, à quo trepidabo? Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. Si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo. Demum alio loco: fortitudinẽ meam ad te custodiam, quia Deus susceptor meus es, Deus meus, misericordia eius præueniet me.

Augustinus in quodam sermone ita ait: Misericordia abundatissima est & larga eius beneuolentia, qui nos sanguine filij sui redemit, cùm propter peccata nostra nihil essemus. Nam ipse aliquod magnum fecit, cùm hominem ad imaginem & similitudinem suam creauit. Sed quia nos nihil fieri uoluimus peccando, & traducem mortalitatis de parentibus duximus, & massa peccati (massa iræ) facti sumus, placuit tamen illi per misericordiam suam redimere nos tanto precio, dedit pro nobis sanguinem unici sui innocenter nati, innocenter uiuentis, innocenter mortui, qui nos tanto precio redemit.

redemit. Non uult perire quos emit, non emit, quos perdat, sed emit quos uiuificet.

Ante omnia, fratres mei, ne iuretis, neq; per cœlum, neq; per terram, neq; aliud ullum ius iurandum. Sit autem uestrum, est, est, & non, non, ut ne in iudicium incidatis.

Vt temerariam iurandi consuetudinem damnat proposita pœna: Ita modũ præscribit affirmationis & negationis, cùm inquit, sit uestrum ita, ita, & non, non, hoc est, quod affirmandum fuerit simpliciter & sine iureiurando affirmate, quod negandum simpliciter negate. Secutus sum ea exemplaria græca quæ habẽt ἵνα μὴ ὑπὸ κρίσιν πέσητε. Nam hæc lectio magis congruit, quàm & uetus interpres secutus est.

DE IVRAMENTO.

Quia hoc dicto abutuntur Anabaptistæ ad abolendum omne iusiurandum,

dum, iudico operæprecium esse totum hunc locum pluribus explicare, ut constet quatenus licitum sit iurare & quatenus non, & ut certa sit nobis tractationis ratio, hæc ordine dicam.

Primum, in genere ostendam interdum licitum esse iurare.

Deinde ea inquiram, quæ ad legitimū iuramentū requiruntur, ut constet quod licitum & quod illicitum sit.

Præterea, quibus iuratis sit credendum, nō enim cuiuis iurato credendū est.

Postremo loco argumenta Anabaptistarum refellam.

DE PRIMO.

Iuramenta interdum licita esse, docetur sequentibus sex argumentis.

Primum. Secundum præceptum decalogi manifestè requirit religionem iurisiurandi. Nam dum uetat abusum nominis diuini, requirit eius legitimū usum, uidelicet, inuocationem Dei, cuius pars est religiosa iuratio.

Secun-

Secundum. Præcepti ſecundi declaratio Deut; 6. Idem comprobat, ibi enim ait Moſes: Per nomen illius iurabis, hoc dictum & licitum eſſe iuramentum teſtatur, & modum iurationis oſtendit. Non enim uult, ut per nomina Dæmoniorum more gentium, ſed ut per ſuum nomen iurent Iſraelitæ.

Tertium. Exodi. 22. Præceptum Domini hoc eſt, cùm controuertitur de re depoſita, ſed ablata: præcepit Deus ut apud quem res depoſita erat ſe iuramento purget.

Quartum. Exempla ſanctorum plurima, ut Abraham, Iſaac, Iacob, & aliorum multorum qui nequaquam uel ipſi iurâſſent, nec ab alijs iuramenta poſtulâſſent, niſi ſtatuiſſent licitum fuiſſe iurare. Verùm ipſorum iuramenta regulã legitimi iuramenti conſtituunt, ut infrà dicam.

Quintum. Exemplum Chriſti & Apoſtolorum in nouo Teſtamẽto. Quoties Chriſtus utitur hac iurationis forma: amen

amen amen, &c. Quoties Paulus iurat, & alij Apostoli. Hæc nequaquam Apostoli & multo minus Christus fecisset, si omne iuramentum esset illicitum.

Sextum. Finis iurisiurãdi, Heb. 6. Et omnis, inquit, ipsis controuersia finis in confirmationem iuramentum est.

Habemus firmas rationes, quibus clarè, ostenditur non omne iuramentum illicitum esse, ut Anabaptistæ uociferantur: nunc transeamus ad id quod secundo loco proposuimus.

DE SECVNDO.

In iuramento, quod est affirmatio uel negatio alicuius, cum attestatione nominis Dei, aut alterius rei quæ sacrosancta & inuiolabilis esse debet, quatuor requiruntur, quæ & diligenter in omni iuramento spectanda sunt: ut partes iurationis, causæ, affectus iurantis, & finis iurationis.

Partes sunt duæ, una est attestatio Dei super re quam affirmamus uel nega-

negamus. Iurans enim cùm alios testes non habet, ad Deum quem nihil latet prouocat, ac eius petit testimonium, illudq; quod dicit tanquam à Deo teste profectum iureiurando confirmat. Hinc sequitur, quod non sit confugiendum ad Diuinum testimonium, nisi ubi & testes alij haberi non possunt, & res ita iuranti cognota, ut sciat se non temerè prouocasse ad tantum testem.

Altera est conditio uindictæ diuinæ in eum qui iurat, si iurando fallit. Nam si is non euadit pœnam qui mentitur testimonium regis terreni, quid fiet ei qui Deum mendacem facit. Hæc conditio omnes reuocabit non solum à periurio, sed etiam à iurandi leuitate.

Causae iurationis duæ sunt. Prior res de qua agitur ignoratio. Posterior rei grauitas. Nam in rebus nugatorijs & nihil aut parui momenti, non est confugiendum ad ius iurandum: nomen enim Dei magis sacrosanctum nobis esse debet, quam ut ad illud confugiamus iu-

rando, nisi maxima urgente necessitate.

AFFECTVS iurantis duplex esse debet, inã & odio mendacij & amore ueritatis impelli debet. Vbicunq; hic affectus non est, in uanum sumitur nomen Dei.

FINIS iurationis duplex quoq; est, unus ut obtineatur ueritas, alter ut Deus honoretur per quem iuratur.

Ex his quatuor ritè collatis, facile patebit quando iurare licet & quando non. Quidam hanc distinctionem probant: quòd iuramentũ publicũ tantũ, hoc est, postulatũ à legitimo magistratu sit licitũ, non autẽ priuatum, hoc est, quod aliquis sponte fecit, uel in sua uel in aliena causa. Verùm quia exempla multa probant etiã priuata iuramenta, istam distinctionem non recipio. Sed definio LICITVM IVRAMENTVM, quod in timore Dei fit ad confirmandum ueritatem eius rei, cuius ignoratio uel gloriam Dei impediret, uel proximi saluti & famæ noceret.

DE TERTIO,

Iam

Iam quibus iuratis sit credendum exponendū est. Nō enim cuiuis, uel iurato credere oportet. Poēta Menander ait:

ἀνδρῶν γὰρ φαύλων ὅρκοι ἀσύνδωρα γράφε:

hoc est,

Prauorum hominum iuramentū in aquā scribito. Significat ergo hoc signo, uanum esse quod iurant homines praui. Qui enim apertè mandata alia Dei transgreditur, ut idololatria, iniustitia, tyrannide, ebrietate, adulterio, scortatione, iniuria, & huiusmodi alijs: is facile etiam Deum contemnet iurando. Quare huiusmodi hominibus iuratis, nec pius magistratus, nec alius quispiā facile receperit. Paulus iurans his uerbis, testis est mihi Deus, mox subiecit, cui seruio in spiritu: significans Deū colētibus, si quid iurârint credendū esse. Qui enim Deū uacui fide, colere nō possunt, quomodo putādi sunt Dei colere religione iuris iurādi: quomodo tribues illi partem, cui totū ademisti:

Iam uideamus quibus fundamentis nituntur Anabaptistæ. Primum adducũt dictũ Domini: Mat: 5. Ego dico ne omnino iuretis. Deinde uerba Iacobi urgẽt: Nolite iurare neq; per cœlũ, neq; per terrã, neq; aliud quodcunq; iuramentũ. Sit, inquit Dominus, sermo uester est, est, nõ, non, quod autẽ his additur à malo est.

His nituntur fundamentis Anabaptistæ, quibus cederem nisi superiores rationes me rectius instruerent. Vt autem intelligatur quid uelit prohibitio Domini, quæ uidetur uniuersalis esse, spectandum est consilium Christi in tota ista concione de operibus. Non est consiliũ Domini, ut corrigat legem patris sui, sed ut errorem interpretum legis patefaciat, & arguat. Lex patris est, per nomen meum iurabis. Hanc legem nõ abolet Dominus, sed tuetur potius, dum eius corruptelam reprehendit. Pharisæi ex lege hac ita concluserunt: Deus præcepit ut iuremus per nomen eius, ergo quauis de causa & quouis modo iurare licet

licet. Hanc erroneã consecutionem reprehendit Dominus, dum ait: Non peierabis, sed reddes Domino iuramenta tua. Ego uero dico uobis ne iuretis omnino, neq; per cœlum &c: omnino, ὅλως, uniuersalis particula referri debet ad morem iurandi tantum receptum, uidelicet, quauis de causa & quouis modo, more prophanorum hominum iurare.

Hic ergo Christus prohibet ne discipuli sui & qui uerè Deum timent, temerè iurent quauis de causa & quouis modo. Vult enim nomẽ Dei religiosius coli, quàm ut in uanum usurpetur.

Iacobus similiter non abolet præceptum Dei de religione iurisiurandi, sed tantum corrigit temerè Iurandi & quouis modo consuetudinem. Nam legitimus iurandi modus inter promissiones Euangelij numeratur: Iere. 4. Iurabis, uiuit Dominus, in ueritate & iudicio & iustitia. Hoc dictum non præcipientis, sed promittentis fore, ut uerus Israel sit uerus Dei cultor futurus, utq; gentes ue-

ram Dei religionem amplectãtur. Cuius rei argumentum erit, quòd sint iuraturi hac forma: uiuit Dominus, non aũt hac: uiuit Baal, Saturnus aut Iupiter.

Quòd autem Hoseæ, 4. dicitur, Neq; iuraueritis, uiuit Dominus: comminantis est uox. Comminatur enim ingratis Iudæis, ut eorum terra propter contumaciam aduersus Deum desoletur, ut in locũ ueri cultus Dei substituatur idolorũ cultus, ex quo fiet, ut nõ amplius iurẽt dicẽtes: uiuit Dominus, sed uiuit Baal, &c.

Anabaptistæ urgent formã à Domino præscriptam: Sit sermo uester est, est, nõ, nõ. Quid his uerbis uult Dominus? ut loco temerarij iuramenti utantur constanti oratione. Requirit ergo Dominus constantiam in dictis, ut nostrum est sit est: & nostrum non sit non. Non prohibet quin liceat nobis confugere ad religiosum iusiurandum, ubi grauitas causæ id postulat: sed urgent fortius q̃ sequitur.

Quod autem (inquit Christus) his additur à malo est, hoc est, quod ulte-

simpli-

simplicem affirmationem aut negationem temerè additur, nulla graui urgente causa: à malo est, id est, à malo animi affectione, seu à mala cõscientia, seu ab ipso Diabolo. Non dicit legitimũ iusiurandũ à malo esse, sed temerarium tantũ, quod fit leuitate quadam & mala cõsuetudine & quauis de causa. Deinde fieri interdũ potest, ut iuramentum sit à malo non iurantis, sed simplici asseuerantiam non credentis, quod cum fit non propterea malum erit iuramentum religiosum. Nõ enim omne malum est, quod à malo est, fit enim sæpe, ut malę sint occasiones bonorum: Vt cùm dicimus bonas leges à malis moribus esse, scilicet, per occasionem non effectiuè.

Affligitur aliquis inter uos? oret.

Parœneses speciales texuntur, ac primum, ut qui malis affligitur & persecutionem patitur, oret. Nullũ etiam pharmacum præsentius est aduersus huius mundi ęrũnas, quam oratio ex fide. Omnia, inquit Dominus, quæcũq; petieritis

in oratione credentes, accipitis. Atq; eius ratio Iudic. 9. eleganter signatur, ubi sanctissima mulier ita orat in oratione sua: Humilium & afflictorum semper tibi placuit deprecatio. Et Psal: 49. Inuoca me in die tribulationis, & eruam te.

Aequo animo est quisq; psallat.

Suadet ut, qui rebus utitur prosperis, psallat: Quo consilio tria docet Apostolus. Primum enim cum iubet psallere, uult ut agnoscamus autorem prosperitatis nostræ Deum esse. Secundo, uult ut ipsum prædicemus ac laudemus, gratitudinem ipsi referentes pro beneficijs suis. Tertiò, ut non cum mundo in Dei contemtũ prosperitate nostra abutamur, sed ut in autore potius acquiescamus & psallentes, & non nobis ipsis quicquam tribuentes. Mundus autẽ contrà facit: Nam nec Deum autorem suæ felicitatis agnoscit, nec illi gratus est, tantum abest ut Deo psallat, imò potius furenter prophano gaudio exultat.

Infirma-

Infirmatur quis inter uos, accersat presbyteros Ecclesiæ, & orent pro eo ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei seruabit laborantem, erigetq; eum Dominus, quòd si peccata commiserit, remittentur ei.

Suadet infirmo, quid illi faciendum sit. Primum accersat presbyteros tanquã animæ medicos. Deinde presbyteri aduocati, orent pro laborante, & eum oleo ungant, non ut moriatur, sed ut miraculose sanitati restituatur. Sicut apertè hîc Apostolus loquitur. Verùm cùm oleum symbolum doni sanationis fuit, quod donum ad tempus durauit confirmandæ doctrinæ causa, in primitiua Ecclesia, & nunc illud donum Ecclesia non habet: stultum est symbolum retinere, sine re symbolo significata. Vt interim taceam idolatricos exorcismos & fiduciam unctionis (qua putabatur firmissimum præsidium aduersus Diabolum esse) cuiusmodi etiamnum in Papatu retinent.

Quare Papistis suum relinquamus pigmentum, quo mortuos suos in orcum mittendos commaculant.

Præterea hic locus apertissimè confutat Nouatianorum dogma, qui lapsis post agnitam ueritatem negârunt ad gratiam reditum. Quare imprimis hoc Iacobi testimonium obseruandum est, dicit enim apertè: Si peccata commiserint, hoc est, aliquid commiserint contra conscientiam, remittentur eis.

Confitemini alius alij offensas.

Alia hypothesis de mutua incidentium offensarum condonatione. Non enim aliud fieri potest, quàm ut in hac naturæ imbecillitate & in hac corruptissima & ueluti delirante mundi senecta, multæ incidant offensæ, quas Apostolus uult ut & agnoscamus & alij alijs condonemus. Papistæ hunc locum interpretâtur de confessione & enumeratione peccatorum, quæ fit sacrificulo: quod commentum non solũ pugnat cum Apostolo

licæ

licæ Ecclesiæ consuetudine (huiusmodi enim confessio ignota fuit Iacobo alijsq; Apostolis) uerumetiam apertè refutatur uerbis Iacobi, qui ait: Confitemini alij alijs offensas. Nam si interpretatio Papistarum ualeret, tum non solũ laicus sacerdoti, uerumetiam sacerdos laico sua peccata confiteretur, quod nequaquam fert sacerdotalis, si dijs placet, dignitas.

Et orate alij pro alijs ut sani sitis.

Alia hypothesis de mutuis precibus: Præcipit enim, ut pro nobis inuicem oremus, quò sani simus, hoc est, ut sit quàm minimum offensarum inter nos. Nam hoc ad mentium & affectuum sanitatem refero, quibus laborantibus nũquam non ut pustulę quædam erumpunt offensæ.

Multum enim ualet deprecatio iusti efficax.

Ratio proximæ rationis ab effectu orationis piæ. Et nota quòd ut unum in precan-

precante: ita alterum in ipsa oratione requirat. In precante requirit iustitiam: quare & Paulus iubet nos eleuare manus puras. Hæc iustitia in duobus sita est, nimirum, ut precaturus statuat sibi remissum esse peccatũ, & omne peccandi propositum abijciat. Qui enim hoc nõ facit, operam ludit. In oratione requirit efficaciam, hoc est, singularem ardorem, qui ex fide proficiscitur, qua homo statuit se exaudiri merito & intercessione Domini mediatoris.

Elias homo erat ijsdem, quibus nos, obnoxius, & precatione precatus est, ne plueret & non pluit super terram annos tres & menses sex & rursus precatus est, & cœlum pluuiam dedit, & terra protulit fructum suum.

Rationis proximæ confirmatio est ab exemplo. Elias orauit efficaciter, Elias fuit iustus, Ergo iusti deprecatio est efficax. Pro maiori ponitur eius confirmatio, de qua lege 17. cap. 3. lib. Regum.

Verùm

Verùm ne quis excipiat & dicat id factum esse propter uiri singularem sanctitatem & merita, anteuertit & dicit eum [illegible] fuisse nobis, ut qui ijsdem affectibus & infirmitatibus corruptæ naturæ nobiscum fuerit obnoxius.

Fratres, si quis inter uos aberrauerit à ueritate, & cõuerterit eum quispiam, sciat quòd qui auerterit peccatorem ab errore uiæ suæ, seruabit animam eius a morte, & operiet multitudinem peccatorum.

Commendatur pijs diligentia in procuranda fratrum salute, ut alter alterum ab errore uiæ suæ, id est, doctrinæ & uitæ, reuocet, quod qui facit, primum seruat animam eius, qui errauit: Deinde multitudinem peccatorum tegit, dum scilicet peccator eius admonitione conuersus reconciliatur Deo, & peccata ipsius apud Deum teguntur, & in altam obliuionem ueniunt.

Sed

Sed quomodò homo hominis animã seruare à morte poterit? Et quomodò multitudinem peccatorũ operiet? Ministerio & non uirtute propria. Sic Paulus dicit se genuisse Galatas. Et ad Timotheum scribens ait: Hoc faciens & teipsum saluum facies, & eos qui te audiunt. Quamuis autẽ solius Dei est saluare: tamen nos sibi ueluti socios adiungit, & nobis asscribit propter ministerium, quod sibi soli reuerà conuenit.

Hoc nobis dignitatem ministerij uerbi commendatiorem reddet, cùm audiamus nos in hominum salute procuranda συνεργους Dei esse, quibus impertit etiam quodam modo diuinum honorem. Quomodò autem homo operit multitudinem peccatorum iam dixi: id non facit uirtute, sed doctrina & uenia. Doctrina facit ut peccator cõuertat se ad Deũ, qui peccatum solus expiat: uenia, dum ipse fratris errata tegit. Huc illud: Dilectio operit multitudinem peccatorum. Papistæ qui ex hoc dicto colligunt, hominem

sua

ſa charitate mereri remiſsionem peccatorum, falluntur. Quemadmodum antithesis in Solomone ſatis oſtendit: Ibi enim odium & charitas, ut contrariæ cauſæ in contrarijs effectibus opponuntur. Odium (inquit) ſuſcitat rixas, & uniuerſas præuaricationes operit charitas. Nam ut odium cauſa eſt rixarum inter homines: ita charitas errata tegit uel ſanando uel conniuendo.

τέλος.

DE REGENERATIONE SPIRITVALI, ET OBEDIENtia Deo necessariò præstanda à Regeneratis.

Autore
NICOLAO HEMMINGIO.

2. COR: 5.
Si quis est in Christo, noua Creatura est.

ORNATISSIMO VIRO, PIETATE, SAPIENTIA, AC GENERIS splendore præstanti D: Iohanni Friis de Hessselagger, Cancellario inclyti Regis Daniæ, Noruegiæ &c. prudentissimo, Domino ac patrono suo semper obseruando, perpetuam gratiam & pacem à Deo Patre per Dominum nostrum Iesum Christum,

NICOLAVS HEMMINGIVS optat.

*

ECce quàm bonum, & quàm iucundum, habitare fratres in unum. Sicut unguentum bonum super caput, descendens super barbam, barbam Aaron: quod defluit super oram uestimentorum eius. Sicut ros Hermon, & qui descendit super montes Zion. Quoniam illic mandauit Dominus benedictionem: uitam usq; in seculum. In hoc sacro carmine, Regius propheta Dauid, canit quàm sit res læta, bona & iucunda, sancta in Ecclesia & politijs concordia. Et elegantis-

simis

huius imaginibus depingit, quod initium, qui progressus, & quis fructus sit huius tam lætæ, bonæ & iucundæ concordiæ. Id quod ideò facit sanctissimus Rex, ut omnes suos subditos ad concordiam amandam, admirandam, fouendam & colendam secum excitet. Cùm etenim optimo unguento, hoc est, balsamo effuso in caput Aaronis, & defluenti in barbam, & à barba in oras uestimentorum decurrenti, concordiam comparat: ueræ concordiæ initium facit pium in religione consensum, ex balsamo Spiritus Sancti promanantem. Nam ut unguentum, Spiritum Sanctum: caput Aaronis, Christum: & eiusdem barba diuini uerbi præcones figurat: Ita uestimenta Aaronica Ecclesiam reliquam typicè notant. Vnguentum itaq; Spiritus Sancti in caput Sacerdotis Christi effusum, dimanat in Apostolos & reliquos pios uerbi diuini præcones, & inde in reliquam multitudinem, per sanctissimum uer-

bi diuini ministerium decurrit. Cùm enim piè & concorditer prædicatur Euangelium, auditores qui se dociles præbent, donantur Spiritu Sancto, eoq; refecti tanquam iucundissimo balsamo, coalescunt inter se ueræ charitatis uinculo, ac ita perfusi sanctissimo oleo, mutuam in Christo fouent concordiam. Et principium & progressus huius nunquã satis laudatæ concordiæ.

Eodem spectat & imago roris in montes Hermon & Zion descendentis. Nam sicut rore cœli omnia crescentia reficiuntur, ac ueluti exhilarantur, fructumq; ædunt iucundissimum: Ita sancta concordia & uitam iucundissimam reddit, & fructus longè gratissimos producit. Quare non absre dixisse putandus est, qui ait: Concordia res paruæ crescunt, & discordia res magnæ dilabuntur. Sed quæ causa est? Quoniam illic, hoc est, inter concordes mandauit Dominus benedictionem, & uitam usq; in seculum. Promissio ergo diuina uberrimum

mum sanctæ concordiæ fructum adfert. Nam ubi uera est in Ecclesia & populis concordia, illic se Dominus sua benedictione gubernatoribus & subditis adesse, & perpetua eos beneficentia complecti statuit.

Hoc concordiæ piæ encomion, dum lego apud Dauidem, cogito de nostro regno, & gratias ago Filio Dei, qui suum sanctissimum balsamum nobis quoq; impertiri dignatus est. Nam & Rex noster clemētissimus, re & nomine CHRISTIANVS, balsami huius sacri participes, ueram religionis concordiam colit, ac uelut unguentum fragrantissimum in suos subditos, nobiles & alios in sua aula, adeoq; in toto regno effundit: adeo ut nihil iucundius iudicent uerè pij, quàm ut eodem spiritus balsamo, cum illo uelut imbuantur, ex quo longè iucundissimus percipitur fructus: sanctus in religione consensus, ac in statu politico, felix beatq; concordia, quæ bona ut sint perpetua, donet nobis pacis & cōcordiæ prin-

ceps, Dominus noſter Ieſus Chriſtus.

Cyclopicæ naturæ, quæ ſolummodo tenantur gloriam mundi, & uoluptates ſectantur, non intelligunt quam diuinus theſaurus ſit pius in religione conſenſus, atq; ideo ſalſe derident Euangelium, & omnia quæ de religione diſputãtur ſusq; deq; habent, in hoc potius incumbentes, ut per fas & nefas, bona Eccleſiæ quæ adhuc reliqua ſunt deprædentur, & in ſuum luxum ſacrilegè conuertant. Verùm his, quia fruſtra ſurdis canitur, nihil aliud hoc tempore dictum uelim, quam illud Iſaiæ: Væh qui prædaris, & non es prædam paſſus, præuaricaris & nulli ſunt in te præuaricati, cùm conſummaueris deprædationem, deprædaberis, cũ fatigatus deſieris contemnere, contemnêris. Hunc ſibi uerum uatem fuiſſe, non ſine magno ſuo malo experientur olim.

Cæterum ut concordia in Eccleſia maneat ſtabilis & firma, neceſſarium erit ueræ concordię uinculum retinere, quod eſt ſacrum Dei uerbum, traditum in

scriptis Propheticis & Apostolicis, ac summatim repetitum in Symbolis. Hoc verbum retinendum est, & præferendum omnibus humanis ac Philosophicis figmentis, nam illud solum salutis necessariam doctrinam continet. Vt autem hoc verbum tenacius retineri possit, debent interpretes scripturę nequaq; imitari Nadab & Abihu, qui sacrificiū facturi, alienū ignem suis impposuerunt acerris, cuius temeritatis mox pœnas luerunt, nā igni cœlesti prostrati & occisi sunt.

Hac imagine non dubium est significari hæreticos, qui scripturam interpretantes, interpretationes petunt ex Philosophia & humana ratione, quorum infelicitus casu Nadab & Abihu significatus est: Sed potius Aaronem, Eleazer, Sadoch & alios imitabuntur, qui sacrificantes ignem ex perpetuo altaris Dei igni sumserunt, quo suas accenderunt victimas, hoc est, debent obscuras scripturæ sententias, cum perspicuis scripturæ locis conferre, & inde mutuari lucem, &

ueluti ignem quendam, quo illustria fiant obscuriora loca.

Multi cùm audiunt nos uerbũ Dei, tanctq; uitæ atcq; actionum in Ecclesia regulam unicam prædicare: putant nos aspernari cùm Philosophiam totam, tum Ecclesiæ & sanctorum patrum interpretationes. Sed utrunq; constanter pernegamus. Nam quantum ad uitam politicã, & œconomicam attinet, multa utilissima præcepta ex Xenophonte, Isocrate, Platone, Aristotele, Plutarcho, Cicerone & alijs multis Philosophis, & ex Iurisconsultorum monumentis peti possunt. Sed cùm uera colendi Deũ ratio agitur, nihil sani reperire est in Philosophorum monumentis. Hic enim solum uerbum Dei lucerna esse debet pedibus nostris, quã lucernam si sequamur, rectà nos ducet in thalamum sponsi nostri Iesu Christi.

De Ecclesia aũt & sanctorum Patrum interpretatione sic sentiendum est. Triplicia sunt scripturæ pronunciata, quædã ita clara & manifesta sunt, ut nulla luce aliunde

alunde petita indigeant. Huius generis sunt omnia, quæ omnino ad nostram salutem sunt necessaria: ut decalogi præcepta de diligendo Deo & proximo, ut promissiones Euangelij, ut doctrina pœnitentiæ, baptismi, cœnæ Domini, &c. Hic nõ recipienda est ullius hominis interpretatio, pugnãs cũ manifestis dictis.

Quædã sunt dubia, quorũ multa mediocri diligẽtia & collatione adhibita, diiudicari possunt, ordine rerũ obseruato.

Quædam sunt planè obscura, quæ ex locorum collatione, & obseruatione ordinis rerum percipi nõ possunt, ut aquæ quæ sunt super cœlos, hæc alij de aquis quæ in nubibus uehuntur, interpretantur, alij de aquis ex quibus undecimum cœlum constare dicunt, accipiunt. Talis est disputatio de ortu animarum, quas alij immediatè creari dicunt, & infundi corporibus, iã in utero materno formatas: alij eas, ut quædã quæ putant absurda dicerent, fingunt ex traduce oriri.

In huiusmodi obscuris quæstionibus,

non reiiciendum est testimonium veterum, quorum interpretationem, si non pugnat cum fundamento, recipiendam iudico. Verum hoc interim sciendum, non ita extollendam esse Ecclesiæ autoritatem, ut sinamus nobis obtrudi humana somnia, & excuti è manibus manifesta oracula spiritus Sancti, quasi pulueri & cineri liceret suam autoritatem diuinę comparare, quod tamen in Papatu fieri manifestū est, non sine mediatoris nostri Iesu Christi magna contumelia, & infirmarum animarum deplorando interitu.

Papistæ hodie quatuor potissimum monstra (quibus reliqua nugarum & superstitionum colluuies deseruit) defendunt: Missam, purgatoriū, inuocationem sanctorum & operum iustitiam, quę omnia, cum pugnant cum manifestis oraculis Dei, Cyclopico furore scripturam abiiciunt Papistæ, ac prouocant ad Ecclesiæ (quam ipsi fingunt sine uerbo Dei) autoritatem, quasi Ecclesia Dei censeri posset turba sacrificulorum, & Monachorum

chorum, quæ uocem Dei rabiosè contemnit, atq; in eius locum doctrinas Dæmoniorum euexit. Hos Papisticos errores clarissimis demonstrationibus refutat Philippus Melanthon, uir optimè de Ecclesia Christi meritus.

Hæc ideo commemoro, ut cogitetur quam sit necessaria doctrinæ cœlestis in Ecclesia defensio, & quod in miserrimam carnificinam incidant homines, postquam uel paululum cesserint Diabolo, & locum doctrinis Dæmoniorum fecerint. Hoc itaq; ne fiat requiritur pia gubernatorũ cura, quæ cauet, ne sint qui priuatis affectibus morem gerentes, scindant Ecclesiæ unitatem, ac ita Turcis & Papistis, nõ dico fenestras, sed integra regna & prouincias aperiant.

Tota hæc Dania nouit, quanta solicitudine caues, prudentissime Domine Cancellarie, ne sint qui uel in politico regimine, uel in Ecclesia moliantur discordiã. Huc enim omnes tuę curæ, huc uigiliæ, huc nocturna diurnaq; cõsilia tua, huc actio-

actiones tuæ omnes referuntur, ut bene composito Ecclesiæ & reipublicæ statu, paci diuturnæ & tranquillitati sanctæ consulatur. Idē tecum faciunt multi heroes, ac sapientissimi Regis & regni Cōsiliarij, quorum merita à me satis laudari nequeunt. Sed ad te te reuertar, qui patronus singularis es & Mecœnas omniū literatorum hominum. Totus enim in hoc es, ut quàm plurima beneficia in docentes & discentes conferas, & nemini eorum noceas, id quod uiri boni proprium esse officium, olim pronunciauit M. Cicero.

Cæterum quoniam ego quoq; inter alios quàm plurimos, maxima tuæ dignitatis beneficia sum expertus, uolui hoc literario & scholastico munusculo, animi mei erga tuam dignitatem declarare gratitudinem, quod ut æqui bonique consulas, etiam atq; etiam rogo. Tametsi autem haud ignoro hoc munusculum uilius uideri posse, quàm ut tuæ dignitati offerri debeat: Tamen quia quæstio, quā

hic

hic mediocri, ut ſpero, diligentia tracto, ad concordiam in Eccleſia ſeruandam, utilis eſſe uidetur: ſperaui hunc meum laborem tuę dignitati haud ingratum fore. Præſertim cùm ab amicis tuis ſæpe audiuerim, optare te ut aliqua inueníretur ratio rudem populum de bonis operibus docendi, ne nímis laxarentur habenæ imperitæ multitudíni, quæ alioqui (ut eſt ignauia noſtra) ſatis ſegnis eſt ad præſtandum officium. Hoc autem fieri poſſe admodum commodè exiſtimo, Si uera illa neceſsitas ſanctè uiuendi proponatur, & ueræ cauſæ, quas expono in his paucis pagellis, fideliter & prudenter populo inculcentur.

Quamuis autem doctrína perpetua Eccleſiæ Dei, de gratuita iuſtificatione per ſolam fidem, ſtat ímmota, ut quę fundamentum habet ueritatem Dei infallibilem: Tamen diligenter docendi ſunt homines, quód debítores ſint Dei, quód uocatí ſint non ad turpitudínem, ſed ad ſanctificationẽ, quód fides quemadmodum

dum Iacobus docet, mortua sit sine operibus, hoc est, quod non sit uera & germana filiorum Dei fides, quam iactant homines qui uiuunt sine pœnitentia, & obedientia erga Deum. Quare rectissime dixisse Nazanzenum censeo, qui ait: Sicut fides sine operibus est mortua: Ita quoq; opus sine fide mortuum est. Præluceat ergo fides, qua sola iusti sumus coram Deo, donati iustitia Christi, & habeat coniunctum suum germanum fructum, pietatem erga Deum, innocentiã uitæ, beneficentiam erga proximos, & sanctam quandã solicitudinem in eo uitæ genere, ad quod quisq; est uocatus. Vale uir clarissime, Mecœnas docentium & discentium pietatem, & honestas disciplinas in his Regnis.

Hafniæ 24. Decembris.

Anno à Christo nato,

1553.

DE

DE SPIRITVALI RE-GENERATIONE.

CVm Paulus Rom. 6. & Petrus primæ primo, ex ui & natura ſpiritualis regenerationis, neceſsitatem ſanctè uiuendi colligant, & Chriſtus Iohan: 3. teſtetur neminem poſſe introire regnum Dei niſi ſit regenitus, ſignificans regenerationem initium eſſe Chriſtianiſmi: operæprecium eſſe duxi, claram & perſpicuam regenerationis doctrinam ex uarijs ſcripturæ locis collectam proponere, quo ea cognita, in Chriſto indies adoleſcere ſtudeamus, & extincto paulatim ueteri homine, cum ſuis concupiſcentijs & prauis deſiderijs, iuſtè, piè & modeſtè, in hoc ſeculo uiuamus, expectantes beatam ſpem, & manifeſtationem gloriæ magni Dei & ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti, qui dedit ſeipſum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & purgaret ſibi populum peculiarem ſectatorem bonorum operum.

Vt

Vt autem certus tractandi modus nobis constet, hunc sequemur ordinem. Primum unde proficiscatur, quomodò applicetur nobis, & sentiatur regeneratio, dicendum est.

Deinde eius clara est statuenda definitio, ut quæ sint ueræ huius nouæ creaturæ notæ, intelligatur.

Tum partes eius constituendæ sunt. Quas sequetur causarum ad spiritualem hanc regenerationem concurrentium distinctio. Huc incrementa, usus, fines & consummatio regenerationis adijcientur. His addetur indicatio errorum circum bona opera, cum breui confutatione, in qua aspergentur ueræ causæ bonorum operum, ut constet quanta sit necessitas piè & sanctè uiuendi ijs qui uolunt uerè esse qui dicuntur, hoc est, Christiani.

Regeneratio igitur proficiscitur ex uirtute & efficacia mortis & resurrectionis Christi. Sicut Paulus ad Rom. 6. his uerbis probat: Num ignoratis quòd

qui,

quicunq; baptizati sumus in Christum Iesum, in mortem eius baptizati sumus? Consepulti ergo sumus ipsi per baptismum in mortem, ut quemadmodum suscitatus est Christus ex mortuis, per gloriam patris: Sic & nos in nouitate uitæ ambulemus. Hæc Pauli uerba primum docent quod mors Christi efficax sit ad domandum & premendum ueterem hominem, hoc est, ad nequitiam carnis nostræ extinguendā & profligandam. Nam ut illi baptizari dicuntur in Christum Iesum, qui per baptismum dicantur & consecrantur Christo: Ita baptizantur in mortem eius omnes, in quibus per efficaciam mortis Christi peccatum moritur & aboletur, ut in unum corpus, in uno capite Christo coalescant. Proficiscitur itaq; regenerationis initium (quod est mortificatio ueteris hominis) ab ipsa mortis Christi uirtute.

Deinde docent hæc Pauli uerba resurrectionem Christi, uim esse unde nostra nouitas fluat, quæ est regenerationis

finis, atq; adeo uita ipsa qua iam uiuit noua creatura.

Præterea huius regenerationis symbolum facit baptismum. Nam quod foris figurat signū, hoc intus operatur mors, sepultura & resurrectio Christi, per Spiritus Sancti gratiam. Hoc ipsum docet Apostolus ad Colos. 3. ubi sic ait: Itaq; si resurrexistis cum Christo quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens, quæ sursum sunt cogitate, nō quæ sunt super terram. Mortui enim estis & uita uestra abscondita est cū Christo in Deo. Hic Paulus exhortationem petit à ui regenerarionis, quæ in morte Christi, & in eiusdē excitatione ex mortuis collocatur. Nam cohærent inter se mori, & resurgere cū Christo. Vt enim participatione mortis Christi mortificamur peccato, mūdo, legis denicq; elemētis atq; adeo toti legi: Ita resurrectionis participatione uiuificamur Deo, ut iam noua creatuta effecti, uirtute mortui resuscitatiq; Christi, indies magis atq; ma-

gis

gis ueterem hominem aboleamus.

Sed quomodo hæc uirtus mortis & resurrectionis Christi nobis applicatur? Id diuus Petrus docet in prioris primo his uerbis: Benedictus Deus & pater domini nostri Iesu Christi, qui secundum multam suam misericordiã regenuit nos in spem uitæ, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatã & immarcescibilem, repositam in cœlis erga uos, qui uirtute Dei custodimini per fidem in salutẽ. Et postea in eodem capite: Regeniti (ait) non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, per sermonẽ uiuentis Dei, & manentis in æternum.

In hisce testimonijs disertè exprimũtur tres applicationis causæ, quarum Prima est misericordia Dei, qua motus Deus non uult hominem in sua prima natiuitate perire, modo propositum & oblatum beneficium nouæ regenerationis non recusauerit. Secunda, uerbum Euangelij, quod ex mera sua misericordia

promulgari totí mundo mandauit. Tertia est fides, uerbum recipiens. In uerbo enim uis spiritus latet, quæ in audientibus, iuxta ordinem diuinitus institutũ, fidem operatur. Est itaq; uerbum Euangelij fide receptum, semen nouæ creaturæ, quæ per gratiam regenerationis nascitur. Vnde Ioh: 1. dedit potestatem, ut filij Dei fierent, quotquot credunt in nomen eius. In quibus uerbis diligenter relatio obseruanda est: nam nomen prædicationem respicit. Quare is in Christi nomen uerè credit, qui talem ipsum statuit sibi esse, qualis nominatur & prædicatur in Euãgelio, hoc est, quòd sit agnus Dei qui tollit peccata mundi, quòd sit medicus, qui omnes ægrotos ad se uocat, quòd sit sacerdos qui placat iram patris, quicq; in se iram iusti iudicis deriuat. Breuiter, quòd sit saluator omnium in se credentium.

Vt ergo Petrus semen huius nouæ creaturæ uerbum Dei statuit: Ita Iohannes fidem requirit, qua recepto semine,

noua

noua hæc natiuitas peragitur. Nam nisi accederet fides ui spiritus efficacis in uerbo, nulla unquam fieret regeneratio, quæ regeneratio, in hunc fit modum. Cùm spiritus sancti uirtute fides ad prædicationem uerbi infunditur cordi hominis, occultè & arcano quodam & nobis prorsus incognito modo regignitur homo, ac fide iam donatus, uiuo conscientię sensu non adoptionis modò gratiam, sed etiam uitæ nouitatem, timorem Dei, dilectionem proximi, & alia spiritus sancti dona apprehendit.

Hunc regenerationis modum cùm ignoraret Nicodemus, eum elegantissima similitudine instituit Dominus Ioh. 3. Vbi sic ait. Ventus quo uult spirat, & sonum eius audis, sed nescis unde ueniat, aut quò uadat: Ita est omnis qui genitus est è spiritu.

Horum uerborum sensus est, quemadmodum ignoratur unde ueniat, aut quò uadat uentus, sed tamen eius sonus sentitur dum spirat; Ita modus regene-

rationis nostræ, per Spíritum Sanctum est nobis reconditus, sed mox ubi regeniti sumus, uis & effectus Spíritus Sãcti in nobis regenitis se profert. Nam huius Spíritus motus & flatus in cordibus regenitorum est fides qua sola iustificamur, timor Dei, ardens amor, & desiderium approbandi Deo omnem nostram uitã, & aliæ uirtutes, cum his coniunctę, quas Paulus ad Gal: 5. enumerat, & Petrus ex uirtute regenerationis extruit in prioris secundo.

Cum his congruit distinctio Chrysostomi, qui ait duplicẽ esse regenerationẽ. Alteram quam ex condonatione peccatorum, dum in Christũ credimus & eius donamur iustitia, Alterã quam post iustificationem obtinemus sanctè & innocẽter uiuendo. Prior dono Dei contingit, in altera requiritur nostra quoq; diligentia. Prioris principia sunt uerbum Dei & Spíritus Sanctus, qui fidẽ operatur. Posterior causas habet easdem unà cum nostra diligentia & exercitijs pijs.

Hinc

Hinc Beatus Lutherus in commentarijs super Epistolam ad Galat: pijssimè scribit, in hunc modum. NOVA CREATVRA est renouatio mentis per Spiritū Sanctum, quam sequitur postea etiā mutatio membrorum & sensuum corporis. Nam ubi cor nouam lucem, nouum iudicium & nouos motus per Euangelium concipit, fit ut externi quoq; sensus innouentur. Aures enim uerbum Dei, non amplius traditiones & somnia humana gestiunt audire, os & lingua non sua opera, iustitias & regulam iactant: sed solam misericordiam Dei in Christo exhibitam cum gaudio prædicant. Hæ sunt mutationes, ut sic dicam non uerbales, sed reales, quæ afferunt nouam mentem, uoluntatem nouam, nouos sensus & actiones etiam carnis, ut oculi, aures, os & lingua aliter quam antea uideant, audiāt, loquātur: sed ut ipsa mens etiā aliud probet & sequatur. Hactenus Lutherus.

Ex his manifestum est, unde proficiscatur, quomodo fiat & sentiatur tan-

dem ſpiritualis illa natiuitas, qua in filios Dei renaſcimur. Nunc quod ſecũdo loco propoſui aggrediar, & definitionẽ huius natiuitatis ſpiritualis perſpicuã tradam.

Eſt itaq; SPIRITVALIS NATIVITAS, qua naſcuntur filij Dei, quotquot credunt in nomen Ieſu Chriſti.

Hæc definitio ſumta eſt ex primo capite Iohannis, & conſtat cauſis, efficiente, materiali & inſtrumentali. Efficiens Deus pater eſt, qui ſecundum magnam ſuam miſericordiam regenuit nos, 1. Pet: 1. Materia Chriſtus eſt: cuius mortis & reſurrectionis ui renaſcimur, ut ſuprà explicatum eſt. Inſtrumentalis cauſa eſt, fides donum ſpiritus ſancti, quo uirtus & efficacia mortis & reſurrectionis Chriſti, adeoq; totus Chriſtus, cum omnibus ſuis donis recipitur.

Verba autem Iohannis, unde definitio poſita eſt deſumta, ſunt hæc: Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem ſeu dignitatem, (Græca enim uox ἐξουσία dignitatem ac maieſtatem quan-

quandam etiam notat) ut filij Dei fierēt: ijs, qui credunt in nomen eius, qui non ex sanguinibus, neq; ex uoluntate carnis, neq; ex uoluntate uiri, sed ex Deo nati sunt.

In his uerbis Euangelistæ manifestè exprimuntur causæ, ex quibus definitio posita est extructa. Sed quî fit, quòd credentes homines dicantur nasci à Deo, atq; ideo filij Dei sint & appellentur?

NASCI A DEO est per fidem coniungi cum Christo uero filio Dei, in quo etiam credentes gratis habētur pro filijs eiusdem regni hæredibus. Quarè ea de causa dicuntur credentes filij Dei, quia membra facti sunt naturalis & unigeniti filij, qui est Christus Iesus, in quo charos nos habet, & adoptat pater cœlestis. Vt igitur renasci est, per uerbum Dei auditum & creditum, ui mortis & resurrectionis Christi, filium & hæredem Dei fieri: Ita nouus homo is dicitur, qui uerbo & fide, per spiritum Dei, ui mortis & resurrectionis Christi est renatus. Vnde &

illud efficitur, ueterem hominem esse eũ, qui fide caret, quantumuis eximijs corã mundo donis clarus sit.

Porrò duo loci Pauli, quorum alter est ad Col: 3. Alter ad Ephe: 4. definitionem regenerationis exhibent formalẽ. Ad Col: quidem ait, Cùm exueritis ueterem hominem cum factis suis, & indueritis nouum illum, qui renouatur ad agnitionem, secundum imaginem eius qui condidit ipsum. Ad Ephe: uerò in hunc modum. Vos non ita didicistis Christum siquidem ipsum audistis, & in ipso estis docti, quemadmodum est ueritas in Iesu, ut deponatis secundum pristinam conuersationem, ueterem hominem, qui corrumpitur secundum concupiscentias mortis, renouemini autem spiritu mentis uestræ, & induatis nouum hominem, qui secundum Deum creatus est, in iustitia & sanctitate uera.

Ex his duobus locis colligitur definitio hæc, quod REGENERATIO sit reparatio imaginis Dei in homine, hoc est,

confor-

conformitas & similitudo hominis cum Deo, ad quam primus homo formatus erat. Hanc Dei imaginem Paulus collocatin iustitia & sanctitate uera.

Sed præter hanc definitionem, tria ex Pauli uerbis colligere promtum est: Primum, quôd hæc imago requirit depositionem ueteris hominis.

Secundum, quôd huius imaginis uelut materia sit agnitio Christi, atq; ea non inanis, sed efficax, de qua etiam Iohannes in primæ secundo ita ait. Per hoc scimus quod cognouimus eum, si mandata ipsius obseruamus. Qui dicit, noui eum, & mandata eius non seruat, mendax est, & in eo ueritas non est. Hæc ergo agnitio fidem complectitur usitata synechdoche. Nam ubi non est fides, ibi uera cognitio nullo pacto esse potest. Et ubi non est obedientia erga Deum, ex fide præstita, nequaquam illic fides esse potest, sed fictum duntaxat illius idolum & mortuum simulacrum. Verùm diligenter obseruandum est,

est, quòd Iohannes non dicat, per hoc sumus in eo, uel eum agnoscimus, quia mandata eius obseruamus: sed per hoc scimus (ait,) nos illum agnouisse, si mandata eius obseruamus. Ascēditur autem hîc ab effectu ad causam, non contrà. Nam bona opera nequaquā nos inserunt Deo, sed insitos gratis q; iustificatos necessariò consequuntur.

Tertiò ex uerbis Pauli colligitur, quæ pars hominis sit primum spiritualis regenerationis subiectum, nimirū mens ipsa & ratio quam omnium primū oportet corrigi, & cognitione lucis Christi per spiritum sanctum illustrari. Hac reformata manu Dei, sequitur mutatio in affectibus & uoluntate, quibus etiam externa membra obtemperant. De quare posteà copiosius dicendum est.

Hactenus de interna regeneratione dictū est quæ occultè fit, & peragitur sine externo symbolo, qua Adam post lapsum restitutus est, Abel, Seth, Enoch, Noe & alij sancti Patres oli regeniti sunt,

&

& hodie quotquot nascũtur filij Dei necessariò regenerantur. Nam Deus eodem modo cùm in sanctis Patribus, tum in nobis salutem operatur. Nunc adijcienda sunt tria dicta, quæ uidentur regenerationem baptismo alligare.

Dominus Iohan: 3. ait: Nisi quis ex aqua & spiritu renatus fuerit, non potest introire in regnum cœlorum.

Ad Eph: 5. Christus dilexit Ecclesiam & seipsum tradidit pro ea, purgans eam lauacro aquæ in uerbo.

Ad Titum 3. Quando autem bonitas & Philanthropia apparuit seruatoris nostri Dei, non ex operibus, quæ sunt in iustitia, quæ fecimus nos, sed iuxta ipsius misericordiam saluauit nos, per lauacrum regenerationis, & renouationem spiritus sancti, quam effudit in nos opulentè, per Iesum Christum seruatorem nostrum, ut iustificati ipsius gratia hæredes fieremus iuxta spem uitæ æternæ.

Ex hisce locis aliud effici non potest, quàm

quàm quòd uis regenerandi sit solius spiritus Dei per Iesum Christum, & quòd hæc regeneratio repræsentetur & efficiatur per baptismum, tanquam ordinariũ *instrumentum huius sanctæ natiuitatis*: non quòd sine baptismo, spiritualis regeneratio uirtute spiritus sola fieri nequeat. Quare locutiones istæ: Ex aqua & spiritu renasci, Deum purgare Ecclesiam lauacro aquæ, Eundem saluare per lauacrũ regenerationis, nihil aliud uolunt, quàm homines in baptismo recipere Spiritum Sanctum, qui regeneret, quę regeneratio manat ex uirtute mortis, sepulturæ & resurrectionis Christi, cuius uirtutis applicatæ efficax symbolum & pignus est baptismus, de quo idem licet nobis dicere, quod Paulus de circũcisione, cui baptismus noster successit, dixit: Baptismus quidem prodest, si legem baptismi seruaueris, at si transgressor legis huius (quæ est *in* Christum recumbere, mori peccato, & uiuere iustitiæ) fueris, baptismus tuus in sordes commuta-

tur

tur. Baptismus enim cordis in spiritu non litera, cuius laus non ex hominibus sed ex Deo.

Hoc ita esse, uerbis Petri confirmatur, qui *in prioris tertio ita ait: Cuius* figuræ respondens baptismus, nos quoq; saluos reddit, non abiectio sordium carnis, sed bonæ conscientiæ stipulatio apud Deum, per resurrectionem Iesu Christi. Hic Petrus cum dicit: non abiectio sordium carnis, satis ostendit, nonnullis baptismum tantum literalem esse, at ijs esse spiritualem, quorum conscientia responsum habet apud Deum, per resurrectionem Iesu Christi.

Hæc non à nobis dicuntur ad extenuandam uirtutem baptismi, quem scimus organum Dei esse, & salutare sacramentum, in quo Christus uerè adest, cuius corpus qui baptisatur induit, cuiusq; sanguine conscientia eius abluitur mortuis operibus. Verùm discerno inter uirtutẽ spiritualẽ & externũ symbolũ, quo illa uirtus spiritualis confertur, & obsigna-

obsignatur. Etsi Cornelius credens, fide induerat Christum, & accepto spiritu sancto, ante collatum baptismum, uerè erat regenitus, & filius Dei, per fidem effectus: nihilominus tamen idem beneficium collatum & consignatum est per baptismum, in maius fidei incrementũ. Apostoli sufflante in eos Christo, acceperunt spiritum sanctum, eundem tamẽ postea sacramentaliter acceperunt, ut uisibili signo confirmaretur inuisibile donũ. Qui credit in Christum, alitur & sustentatur in spem uitæ æternæ corpore & sanguine Christi: uerè tamen in sacra cœna eisdem sacramentaliter fruitur, ut sint pabulum & potus animæ.

Sunt ergo duo in sacramentis consideranda, SIGNVM ET RES, ut supra quoq; dictum est. Signum sumi potest sine re, & res exhiberi interdũ sine signo, ut in baptismo signum, ablutio corporis per aquam, res uerò est, ablutio animæ per sanguinem Christi, mortificatio ueteris naturæ, & excitatio noui hominis.

Quod

Quòd autem signum interdum est ineffi-
cax, omni efficacia destitutum, fit homi-
num culpa, quæ non naturam tollit sa-
cramenti.

Hæc eò pertinent, ut non temerè confundamus uirtutem, quæ solius Dei est, cum externis sacramentis, quibus Deus ut organis uti consueuit, nō quòd ineíllis nunquam agat, sed quòd ea sint ordinaria ipsius diuinæ actionis organa.

Ex his quæ hactenus dicta sunt fa-
cile est colligere, quænam sint salutaris huius REGENERATIONIS NOTAE, quarum Prima est uera Christi cognitio, quæ non solum noticiam Christi, sed etiā firmam in ipsum fiduciam complectitur. Hæc est, inquit Dominus, uita æterna, ut recognoscant uerū Deum, & quem mi-
sisti Iesum Christum. Et Paulus. In Chri-
sto Iesu neq; circumcisio aliquid ualet, neq; præputium, sed noua creatura. Hi duo loci collati sensum & uitam adeoque manifestissimam notam noui hominis, do-
cent esse fidem in Iesum Christum, per charitatē efficacem.

Secunda nota regenerationis, est duci spiritu Christi, quemadmodum Paulus ait: Qui ducuntur spiritu Christi, hi sunt eius.

Tertia nota, quæ unumquemq; certificat, est arrabo hereditatis, qui est Spiritus Sanctus. Paulus enim ad Corinthios posterioris primo ita ait: Et dedit arrabonem spiritus in cordibus uestris. Et ad Galatas 4. Quia estis filij, misit Deus spiritum filij sui in corda uestra clamantem Abba pater.

Quarta nota, est assidua spiritus aduersus carnem pugna, & eiusdem spiritus victoria.

Quinta, est patientia sub cruce spe, quæ fidei coniuncta est, uerus & germanus fructus. Hæ notæ nouæ creaturæ certissimi sunt indices, & ueluti noui fructus infallibiliter nouã mõstrãtes arborẽ.

Cæterum si placet ista breuius complecti, hæc noua creatura ex eo cognoscitur, si fides sentiatur, si uis domandæ carnis crescat, si timor Dei & aliæ uirtutes

tur cotidie ex noua hac arbore succres-
cant. Vel breuius adhuc: Si gaudium spi-
ritus de salute per Christum parta, effi-
caciter sentitur, & inde promti sumus &
alacres, ad præstandam Deo perpetuò
obedientiam. Periculosè errant, qui cùm
noticiam Christi & fidem iactant, nullos
tamen ædunt synceræ fidei fructus, sed
ducuntur ueluti bestiæ, quocunq; uitio-
sæ carnis libido rapit.

Atq; hæc de secundo membro par-
tionis nostræ sint dicta, nempe de defini-
tione, & ueris nouæ creaturę notis. Nūc
ut in partibus magis conspiciatur hæc sa-
lutaris natiuitas, partes eius sunt nobis
exponendæ & declarandæ.

Sunt autem regenerationis PARTES
duę, Mortificatio & Viuificatio. MORTI-
FICATIO est communio & societas mor-
tis Christi, qua uitiositas naturæ castiga-
tur, crucifigitur & occiditur. Et est du-
plex: Interior & exterior.

INTERIOREM Paulus interdū uocat
crucifixionē ueteris hominis, ut cū ait: ad

Roman: 6. Vetus noſter homo ſimul crucifixus eſt &c. Hęc mortificatio habet fidem uitæ adiunctam: Iuxta illud: Si mortui ſumus in Chriſto, credimus quod & uiuemus cũ eo. Vt aũt hæc mortificatio ex uirtute mortis Chriſti proficiſcitur: Ita in abnegatione ea eſt ſita, quæ in uera contritione ſentitur, cùm uidelicet carni & concupiſcentijs eius ita renunciamus, ut ſtatuamus ex uiuo fidei ſenſu, non amplius iuxta carnis, ſed iuxta ſpiritus imperium uiuere. Hanc abnegationem Dominus commendat ſuis ſectatoribus Lucæ 9. Si quis uult poſt me uenire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Ad hanc & Paulus hortatur ſuos Coloſſenſes inquiens: Mortificate membra ueſtra terreſtria, &c.

An non Chriſtus mortuus eſt pro peccato? Si ille pro peccato mortuus eſt, ſicuti reuerà eſt, cur nos iubemur idem mortificare? In peccato duo ſunt, Morbus & reatus. Morbi uim ac uelut in-

cendi-

cendium iubemur extinguere, quod tum tandem poterimus facere, ubi Christum uerè induerimus, infracta fiducia in ipsum recumbentes: At reatum ipsum solus Christus tollit, in cuius locum succedit Christi iustitia credenti imputata. Iuxta illud: Eum qui non nouit peccatū, fecit peccatum, ut nos fieremus iustitia Dei in ipso.

EXTERIOR mortificatio duo complectitur, nempè patientiam sub cruce & temperantiam. Illa spei effectus est, hæc interioris mortificationis comes.

Porro huius mortificationis, quę initium est regenerationis, hi sunt gradus. Primus est, quod mētis errores de Deo, de prouidentia, de promissionibus & minis, adeoq; de ipsius Dei natura, uoluntate & cultu, corrigat & prorsus iudicium carnis, & totum eiusdem φρόνημα in rebus salutis extinguat. Est enim, ut Paulus ait, sensus carnis inimicitia apud Deum.

Secundus, quòd motus aberrantes,

& affectus inordinatos reprimat, ac ueluti freno inhibeat, quos motus Paulus eleganti similitudine membra ueteris hominis appellat: Nam uetus homo, hoc est, ratio & uoluntas deprauata, perinde his motibus utitur, ac corpus suis membris uti consueuit in actionibus suis.

Tertius, quòd uoluntatem auersam refrenet, ut non amplius rebellis & contumax sit aduersus Deum.

Quartus & ultimus, quòd membris externis corporis imperet, ut non posteà, sicut antea fecerunt, peccatrici naturæ auscultent.

Atq; hactenus de mortificatione prima regenerationis parte, sequitur altera, quam Paulus uiuificationem appellat, quæ quid sit, & quos habeat gradus dicendum est.

Est itaq; VIVIFICATIO nouæ uitæ manantis ex uirtute resuscitati Christi per spiritum regenerationis excitatio.

Noua autem uita dicitur, quia est supernaturalis, nouæq; creaturę; sic appellata,

ista, Primum ut distinguatur ab uniuersali uita, quæ motu duntaxat & sensu cõstat, cuius etiam participes sunt bestiæ. Deinde etiam, ut distinguatur à uita humana, qua sumus filij Adæ. Dicitur hæc noua uita etiam gratiæ uita, quia gratis electis communicatur. Dicitur quoq; uita Dei per excellentiam, quoniã nunc propriè uiuit Deus in nobis, & nos fruimur eius uita, cùm Spiritu suo nos gubernat. Dicitur & uita Christi Galat: 2. Viuo autem non amplius ego, sed uiuit in me Christus. Quòd autem nunc uiuo in carne, in fide uiuo filij Dei, qui dilexit me, & tradidit se ipsum pro me. Hîc Paulus discernit uitam, qua corpus uiuit animale, ab ea uita qua Christus in nobis uiuit.

Viuit autem Christus in nobis dupliciter, Vna uita est cùm participatione suæ iustitiæ nos donat, ut quando in nobis nõ possumus, in ipso accepti simus Deo. Altera uita est, qua uiuit in nobis Christus, cùm nos spiritu suo gubernat,

sanctificat, atq; actiones nostras omnes dirigit. Prior uita ad gratuitam iustitiæ acceptationem, posterior ad regenerationem, de qua hic potissimum agitur, pertinet. Neutra constare potest sine altera, tametsi diuersæ sunt. Vtraq; præterea uita gratiæ dicitur, & est uia ad uitam gloriæ, de qua Paulus Col: 3. Et uita uestra abscondita est cum Christo, in Deo: ubi autem Christus apparuerit uita uestra, tunc etiam uos cum ipso apparebitis in gloria. Est autem imprimis obseruandũ, quòd hanc uitam cum Christo in Deo absconditam esse dicat, quibus uerbis significat nostram uitam extra periculũ esse, etsi non appareat. Nam & Deus fidelis est, ideoq; non abnegabit depositum, nec fallet in suscepta custodia, & Christi societas maiorem etiamnum securitatem adfert.

Quid enim magis expetendũ, quàm uitam nostram manere cũ ipso uitæ fonte. Quare non est, quòd terreamur, si undiq; circumspicientes uitam nusquam cerna-

cernatus, spe enim salui sumus.

Ex his quidnam, & qualis sit uiuificatio, quæ regenerationis altera pars est, liquet: nunc huius uiuificationis gradus considerandi sunt. Nam ut uita, qua uiuificatur animans habet suos, iuxta actiones animæ, gradus.

Ita uita, qua fideles uiuunt, actuosa est, ac suarum actionum (quas pietas uelut anima regit) quosdam gradus habet. vt igitur mortificationis gradus supra constituimus quatuor, nempe mentis, affectuum, uoluntatis & externorum membrorū corporis: Ita hic quoq; (quia mortificationis & uiuificationis eadē est ratio & proportio) eosdem constituamus gradus, ut hæc uiuificatio cernatur in mente, in affectibus, in uoluntate & externis actionibus.

Mentis uiuificatio est, de qua Paulus Ephesiorū 4. Renouamini spiritu mentis uestræ. Hæc renouatio mentis in eo sita est, ut deposita uanitate, mens uera intelligentia rerum diuinarum, de Deo,

de cultu Dei, de salute per Christū parta &c: ita sit illustrata, & spiritu Dei certificata, ut non amplius mens nostra fluctuetur, & circumferatur quouis uento doctrinæ: Sed iuxta Psalmū, noctè dieq; uersetur in lege Dei, meditetur diuina, nihilq; iucundius & antiquius habeat, quàm toto uitæ suæ cursu in noticia doctrinæ cœlestis proficere.

Deinde affectus purgandi sunt, ne quid affectemus aut appetamus, quod lege Dei nobis uetitū est. Sanctus Maximus primo libro de charitate, pulcerrima similitudine affectuum impetus & incursiones describit his uerbis: Quemadmodum passerculus pede alligatus, uolare incipiens, in terram funiculo detrahitur: sic mens hominis ad rerum cœlestium cognitionem uolare contendens, ab effectibus deducitur, & in terram detrahitur. Quoniam igitur omnia, quæ iniustè atq; improbè fiunt, ab affectibus, præsertim ira, cupiditate & libidine oriuntur: summo studio & conatu affectibus

bus reluctandum est, ut ira effrenis cohibeatur, ut cupiditas iniusta compescatur, utq; libido lœda refrenetur. Et quia affectuum inordinatorum mater est φιλαυτία, ipsa omniū prima iugulanda est, & in eius locū euehendus timor Domini, qui fons omnium bonorum existit: veluti contrà inordinati motus, qui oriuntur ab ipsa φιλαυτία, omnium malorum sunt scaturigines. Hìc enim Dei timor facit, ut ames quæ amanda sunt, expetes quæ expetenda sunt, fugias quæ fugienda sunt, lætéris in rebus sanctis & salutaribus, tristeris cùm aliquid contra Deum aut dilectionem proximi perpetratum sit, iraſcaris uitijs, speres cum patientia hæreditatem salutis promissam. Breuiter, efficit hic timor Dei, ut sanctè, iustè & modestè uitam totam transigas.

Deinde reprimit etiam inordinatos affectus uera pœnitentia, abnegatio sui, ardens inuocatio, sedula uerbi diuini meditatio, in officio diligentia sancta, sobria

sobria uitã, rerum cientium affectus fuga &c. Prætera quoniam non cessant unquam affectus praui solicitare nos ad peccandum, etiam postquam regeniti sumus, debemus nos contra ipsos armare spiritualibus armis, ut primis motibus fortiter occurramus: Nam si affectui, ad breuissimum tempus locũ feceris, mox ipse uoluntatem secum trahit, ut ad assecutionem peruehiatur.

Adhæc in uoluntate quoq; cernitur regenerationis uis, cùm nõ amplius auersa est à Deo, sed quæ rectè mens iudicat, & cor piè affectat, ea promta cõplectitur uoluntas, quã uoluntatẽ purgatam εὐταξίαν membrorum corporis sequitur, ut illa quoq; purificata appareant.

De partibus regenerationis satis dictum est, & earum gradibus: Nunc causarum ad spiritualem hanc regenerationem concurrentium distinctio declaranda est: Nam harum causarum confusio, maximorum errorum in tota Ecclesiæ doctrina fons est.

Cùm

Cùm ergo in ſcriptura ſancta dicimur, nunc à Deo naſci, nunc è ſpiritu renaſci, interdum per uerbum, nonnunquam per fidem, aliquoties per lauacrum aquæ, ſeu per baptiſmum, & interdum etiam per miniſtros Euangelij: diligenter harum locutionum rationes explicandæ ſunt. Nam nequaquam eodem reſpectu, ſine contradictionis implicatione, hæ locutiones intelligi poſſunt. Quare ex cauſarum diuerſitate explicatio petenda eſt.

Primum itaq; rectè dicitur: Regenerat Pater, regenerat filius, regenerat Spiritus Sanctus. Sicut enim Deus pater creauit mundum, & Deus filius creauit mundum, & Deus Spiritus Sanctus creauit mundum: Ita idem unus & æternus Deus, Pater, Filius & Spiritus Sanctus, hominem peccato mortuum regenerat, ſed ſeruata eniuſq; perſonæ proprietate: hoc eſt, ut Deus Pater creauit mundum, per filium in Spiritu Sancto: Ita rectè dicitur, Deus Pater per filium,

in

in Spiritu Sancto regenerat hominem. Pater enim autor & fons est, Filius medium & meritum, Spiritus Sanctus uim suam exerit in homine, ac eum nouam creaturam efficit & conseruat. Verùm quia Deus ad id utitur sensibilibus instrumentis fit, ut regeneratio nunc uerbo, nunc fidei, nunc baptismo, nunc ipsis ministris tribuatur.

Verbum à Petro semen incorruptibile huius natiuitatis nouæ prædicatur, sicuti suprà expositum est. Huius seminis ipse spiritus Dei est, qui in uerbo prædicato est efficax.

Verùm quia uerbum prædicatum inefficax manet, nisi fidei fructum producat, qua fide Christus apprehenditur & possidetur: dicuntur credentes filij Dei esse, ut qui à Deo geniti sunt. Iohannes filios Dei prædicat fieri, qui Christum recipiunt, hoc est, qui firma fiducia in eum recumbunt, uerùm eosdem mox non ex carne, & sanguinibus, sed ex Deo genitos esse dicit. Dignatur ergo

adop-

adoptionis honore Deus eos, qui in filium credunt, sed quos suo spiritu iam genuerat, hoc est, quos sibi in filios formauit, suos tandem esse declarat. Nam si filios Dei nos reddit fides, unde ipsa nobis detur, considerandum est. Siquidem spiritualis seminis fructus existit, quo semine Deus nos in vitæ nouitatem regignit. Proinde quod efficit spiritus, hoc uerbum offert, atq; idem fides receptum declarat, id quod baptismus & figurat & obsignat. Dicimur enim renasci per baptismum, quando per spiritum renascimur, qui spiritus nobis aspectabili Sacramento testatur, & obsignat renascentiã, & ablutionem animæ, per sanguinem Christi.

Sunt autem duo in BAPTISMO considerãda, signũ & res. Signum est aqua & externa actio. Res est ablutio animæ per sanguinem Christi, carnis mortificatio, & spiritus uiuificatio, sicuti suprà dictum est. Diligenter igitur ut inter signum & rem distinguendum est, ne

hærea-

hæreamus in externo elemento: Ita rursus rem signatam à signo nequaquam diuellere licet. Quod autem sæpe signum inefficax esse apparet, id fit hominum culpa. Nam ut uerbum prædicatum: Ita sacramenta, quæ sunt uelut spectabiles conciones, fidem requirunt, sine qua inefficacia manent.

Hîc tamen hominum abusus & malicia nequaquam sacramenti naturam tollit. Ne igitur separemus quæ à Domino coniuncta sunt, agnoscamus in baptismo spirituale lauacrum, amplectamur illud ut testimonium remissionis peccatorum, & renouationis nostræ pignus. Ita tamen, ut relinquamus & Christo & Spiritui Sancto suum honorem, ut nulla pars salutis ad signum transferatur.

Iam de ministris dicendũ est, qui etiã spiritualiter homines gignere dicuntur. Paulus enim. 1. Cor: 4. apertè ait: In Christo Iesu, per Euangelium, uos ego genui. & ad Gal: 4. Filioli, quos iterum parturio, donec formetur in uobis Christus.

sum. Idem Timotheo scribens, germanũ eum filium appellat. Proprium quidem Dei est, quemadmodum aliquoties iam dictum est, spiritualiter gignere & parere. Sed quia instrumentis ad id utitur, ministro & prædicatione, quod suum est, illis asscribit. Propterea quòd cum hominis opera Spiritus sui uirtutem cõiungit. Ne igitur hic confundentur causæ, tenenda est hæc distinctio.

Sine Deo minister nihil potest, imò organon est inutile, uerùm cùm efficaciter per ipsum, Spiritus Sanctus operatur, transfertur etiam ad ipsum laus & titulus agendi. Sed tunc non agitur quid per se aut seorsum à Deo ualeat minister, sed quid per illum agat Deus uirtute immortalis seminis. Quia igitur uirtute uerbi diuini (quod Petrus immortale eius nouæ natiuitatis semen appellat) ueros Deo gignit, & eosdem eiusdem ubi lacte & cibo pascit, educat, fouet: dicitur minister uerbi pater eorum, qui ipsum audiunt, & spiritua-

liter gignuntur, sed excellentia potentię Dei est, & non ministri, apud quem semen hoc ueluti thesaurus in uase depositus est.

Cùm igitur thesaurus non à uase cõmendatur, aut ab eo precium mutuatur, sed à thesauro uas: ipse minister hunc titulum & laudẽ ab ipso uerbo, cuius preco est, habet, & non uerbum ab ipso. Hæc sint de causis concurrentibus ad spiritualem regenerationem dicta: nunc quod Quinto loco propositum fuit excutiendum est.

Etsi autem unusquisq; in seipsum descendens sentiat magnam infirmitatẽ, ad præstandum Deo uerum obsequium, ac sæpe se carnis importunitate infestari experiatur, adeo ut quæ non uelit, ea agat, sicuti diuus Paulus iam iustificatus, & regeneratus de seipso conqueritur: nequaquam tamen desperandum est, sed fiducia mediatoris animus fouendus & erigendus. Nam hoc opus Dei, quod est regeneratio, non eo, quo in nobis incoatur

catur die, simul etiam perficitur: sed paulatim augescit, & cotidianis incrementis ad finem perducitur. Nemo enim unquam repertus est, qui suam carnem penitus crucifixit, & se ita totum spiritus imperio subiecit, ut iam nulla sit peccati reliqua uis, quæ ipsum molestet. Nemo unquam inuentus est, qui ita spiritu uiuificatus fuit, & se ita totum à carnis concupiscentijs uendicauit, ut iam plenum spiritui imperium, sine molestia, & cotidiana pugna, sit relictum.

Hoc testantur multi errores in omnibus sanctis. Hoc testatur omnium sanctorum precatio, ipsis à Christo domino commendata, qua cotidianos lapsus deprecantur. Hoc gemitus creber in doctissimis Dei organis conuincit. David grauissimas suas tentationes habuit, & cotidiana ignorantiæ delicta deplorat: Ab occultis meis munda me Domine. Paulus clamat: Infelix ego homo, quis liberabit me de corpore mortis huius?

Pugna itaq; assidua manebit carnis & spiritus, donec manendum nobis est in hac mortalitatis conditione. Sed quid hîc faciendum est?

Primũ, si Christianus es, oportet in te signũ apparere cõmunionis cũ morte & resurrectione Christi, cuius fructus est, ut crucifixa sit caro tua, cũ omnibus suis concupiscentijs, ut uiuificatus spiritu, iã nouam uitã mediteris. Nec hæc communio ideo nulla est, si reliquias carnis uiuere adhuc in te sentias, si spiritus plenũ imperium non dum obtineat, adeò ut sine contumacia carnis, liberè feratur in Dei obsequium: sed meditandum est assiduè eius augmentum, donec ad metam perueniatur sit.

Deinde cum Paulo deploranda est hæc captiuitas, & pijs uotis optandum, ut ab ea feliciter tandem, iuxta uoluntatem Dei, liberari possis.

Tertio, indies conandum est, ut maiora incrementa facias, & adolescas in Christo, ut cibo uerbi Dei, & sacramen-

ma

ma cœna, corpore & sanguine Christi, animam recrees & foueas. Nam ut inde alitur, ita etiam incrementa cotidiana capit.

Quartò, non indulgendum est carni unquam, sed statim suborientes affectus praui iugulandi sunt meditatione uerbi Dei & oratione. Quemadmodum Dauid iam post adulterium commissum in gratiam receptus & regenitus fecit. Iuxta illud: Cor mundum crea in me Deus, & spiritum firmum innoua intra me. Ne proijcias me à facie tua, & Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me. Redde mihi lætitiam salutis tuæ, & spiritu spontaneo sustenta me.

Hic Dauid regenitus tam petit incrementa, quæ fieri non possunt, nisi intus nos mundificet spiritus Dei. Quemadmodum enim spiritu regeneramur: Ita eodem regeniti incrementa capimus, quod quomodo fiat, tria spiritus Dei epitheta, quæ hîc à Dauide ponuntur declarant. Vocat enim eundem spiritum Dei

primo loco firmum, deinde sanctum, tũ uoluntarium seu spontaneũ, Idq; propter diuersos ipsius effectus in regeneratis.

Dicitur enim ideo hic spiritus FIRMVS, quia nos firmos reddit, ne circumferamur quouis uento doctrinæ, astu uel hominum uel diabolorum decepti: Sed ut constantes maneamus in uerbo nobis tradito, nec unquam de beneuolentia patris cœlestis, qui nos in Christo charos habet, dubitemus.

Deinde Spiritus Dei SANCTVS dicitur à Dauide, quia nos ut regenuit in nouos homines: ita regenitos magis magisq; sanctificat, quò perpetuam sanctimoniam uitæ, morumq; innocentiam meditemur. Hunc Sanctum Spiritũ petit Dauid à se non auferri, hoc enim ablato, mox ruit homo in quæuis scelera, prauis inhabitantis peccati concupiscentijs impulsus.

Tertio dicitur Spiritus VLTRONEVS seu uoluntarius, siue spontaneus, quia nos promtos & faciles reddit ad faciendum

dum quod præcipit Deus. Hæc enim ſpontanea obedientia, qua pluris facimus obedientiam erga Deum, quàm omnia quæ in mundo ſunt, certiſsimũ ac pleniſſimũ regenerationis teſtimonium eſt, cui coniunctũ eſt gaudium ſalutis, quę à Deo eſt. Nã Spiritus Sanctus teſtimoniũ reddit ſpiritui noſtro quod ſimus filij Dei & hæredes in Ieſu Chriſto. Hinc exhortationes illę Paulinę: Spiritu feruentes. Itẽ, Spiritum nolite extinguere, & ad Timotheum: Excita gratiam quæ in te eſt.

Hæc dicta teſtantur, quod poſtquam regeniti ſumus, uires à ſpiritu Dei per gratiam inſtauratas habeamus, ut iã exercitijs pietatis, precibus & induſtria Spiritum, quo ferueamus in nobis ipſis, excitare uel excitanti nos accommodare poſsimus. Nã ut igni iam ſuccenſo poſſumus ligna & fomenta ſupponere, quibus magis ardeat: ita Spiritus Sanctus iam datus, exercitio doctrinæ exhortationis, ſumtionis cœnę Dominicæ, aſsiduo precũ, meditationis in uerbo Dei ex-

citari potest, ut magis ferueamus. Qui autem hoc exercitium negligunt, spiritũ sinunt extingui.

¶Ex his quoq; VSVS REGENERATIONIS facile intelligi potest, qui maximè in tentationibus cernitur. Solicitaris à carne, ut hoc uel illud, contra interdictum Dei facias. Hic cum Paulo responde: Si mortui sumus peccato, quomodo uiuemus in eo? Tentant te legis comminationes, quibus opponito Pauli dictũ: Non sumus sub lege, sed sub gratia. Item, Nulla damnatio est ijs, qui sunt in Christo Iesu. Sæpe suborientium affectuum molestiam sentis, qui spiritus imperium excutere conantur. At Pauli consilio hic obtempera, qui ait. Ne igitur regnet peccatum in mortali uestro corpore, ut illi obedíatis in cõcupiscentijs suis. Tametsi enim peccatum in nobis residet, & sua promit edicta, per prauas concupiscentias: tamen nequaquam nobis nocebit, donec uirtus sanctificationis emineat. Hæc enim nos uerè esse membra Christi testa-

tur.

tur. Vexaris sub cruce, cõfugito ad pauli consolationem: Si cum illo patimur, cum illo quoq; regnabimus. Si mortis tentatio te solicitat, huic medebitur Pauli dictum, qui ait: Nostra uita abscondita est cum Christo in Deo. Si metus extremi iudicij te turbat, consoletur te iudicis dictum: Qui credit in me non iudicabitur. Quomodo enim clientem suum patronus condemnaret? Breuiter, usus huius sanctæ regenerationis in eo consistit, ut iam securus de tua salute ea mediteris cotidie, cũ pio uoto, totam tuam uitã Deo approbãdi, donec tandẽ resuscitatis corporib', ęterno fruamur Dei cõspectu.

Porro FINIS REGENERATIONIS duplex est. Propinquus, ut non amplius seruiamus peccato, sed iustitiæ, ita ut nostra uita, studia, actiones, eò destinentur ut toti in Christũ transeamus. Quatenus ni effecti sumus Christo similes, sumus renati: sed quo sumus illi dissimiles, non sumus renati, sed in nobis ueterem hominem retinemus. Vltimus finis est, ut

recuperata imagine Dei, in omni æternitate Deum prædicemus, fruentes æterna uita, perfecta & æterna lætitia, summa quoq; delectatione, in æterna regni Dei hæreditate, in qua tandem erit absoluta spiritualis hæc regeneratio, ubi non amplius molestabimur uitioſę carnis cõcupiſcentijs. Nam corruptibile hoc induet incorruptibilitatẽ, adeo ut non amplius geramus imaginem primi Adami, qui eſt de terra terrenus: ſed ſecundi potius, qui eſt è cœlo cœleſtis, ut conformes ſimus Deo in omni æternitate, iuxta illud Iohannis in primę tertio: Chariſsimi filij Dei ſumus, & non dum apparuit quid erimus, ſcimus quoniã cùm apparuerit, quòd ſimiles ei erimus, quoniam uidebimus eum ſicuti eſt. Et omnis qui habet hanc ſpem in eo purificat ſe, ſicut ille ſanctus eſt. Huc & illud Pauli pertinet: Nos ſpiritu ex fide ſpem iuſtitiæ expectamus. Hæc expectata iuſtitia non eſt aliud quàm conformitas noſtri cum Deo, habitatio Dei in nobis, absoluta

ſoluta dilectio, breuiter, plena Sanctificatio.

Hæc de regeneratione neceſſariò admonenda duxi. Nam cùm nemo niſi regenitus, poſsit intrare in regnum Dei, profectò operæpretium eſt, regenerationis doctrinam bene cognoſcere, ut ſciatur quæ ſit eius origo, quæ natura, quæ partes, quæ notæ & effecta, quæ ad illam cauſæ concurrunt, quæ eius incrementa, quis uſus, qui fines, quæ denique eius conſummatio. Hæc omnia, quantum licuit hoc tempore explanauimus, ſcripturis & exemplis illuſtrauimus, ut conſtet, quàm ſit neceſſaria ſanctificatio in iuſtificatis. Nã quemadmodum credentes iuſtificantur ſola fide, qua poſsidetur obedientia Chriſti, quæ noſtra eſt iuſtitia: Ita iuſtificati donantur Spiritu Sancto, ut Chriſtus ſit illis quoque iuſtificatio, quod tum fit, quando uirtute mortis Chriſti morimur peccato, & uirtute reſurrectionis eiuſdẽ nouã uitã meditamur, ac nos ſpiritu Chriſti regi totos

expeti-

expetimus, sentientes uim spiritus Christi in nobis, cùm non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum.

Hęc doctrina regenerationis mõstrat fontem, necessitatem ac uerũ finem bonorum operum. Paulus Rom: 6. Petrus primæ primo & secundo. Et Dominus ipse Iohan: 3. hinc tanq; ex fonte hauriunt, Christianoꝝ debitum officium esse, bonis studere operibus, quo in hoc mundo appareant noui homines, ut qui renati ex spiritu Dei, iam renunciârunt ueteri homini, cum concupiscentijs eius.

Necessitas ergo bene operandi, est cõsequentiæ. Nam qui regenitus est, qui spiritu Dei agitur, qui fide uiuificatur: debet iam necessariò uitæ nouæ, quam uiuit actiones ædere. Nam ubi apparent nullæ nouæ uitæ actiones, ubi nullus conspicitur fidei fructus, ubi motus spiritus nulli sentiuntur: Ibi planè nulla adhuc noua uita est, sed prorsus uetus homo, & uis peccati illic regnat. Proinde docere, opera nõ esse necessaria, perinde est, acsi

ac si quis dicat, uitam animantis actuosam non esse, imò posse existere sine sensu & motu.

Hinc finis bonorum operum colligitur, nimirum, ut non amplius simus serui ueteris hominis, sed noui homines effecti, Deo placere noua uita studeamus. Vt homines conspicientes lucem nostram, hoc est, honestam & sanctam uitam, Deum nobiscum glorificent.

Verùm hîc multi ERRORES CIRCA BONA ŌPERA cauenda sunt, quorum præcipui sunt quinq;.

Sunt enim qui bonis operibus, in causis iustificationis locum tribuunt.

Sunt qui tametsi in causis iustificationis opera non collocant, ea tamen necessaria ad salutem & uitam æternam prædicant.

Nonnulli supra modum extenuant benè operandi necessitatem.

Quidam normam bonorum operum, legem Dei siue decalogum, in Ecclesia Christi doceri nolunt.

Nec

Nec desunt, qui in locum operum, quæ Deus mandauit, humana somnia substituunt, non sine maxima unici legislatoris Dei contumelia.

Hi errores breuiter confutandi sunt. Quantum autem ad PRIMVM genus errorum attinet, sciendum est, quod eius sint quatuor formæ. Philosophica prima, Pharisaica secunda, Tertia sophistica, Quarta & postrema nuper nata Osiandrica.

Philosophicus error est, quem parit imaginatio Philosophica de iustitia. Philosophia enim non nouit iustitiam aliam, quam quæ est qualitas in homine, seu ἕξις reddendi unicuique, quod suum est. Non intelligit hominem imputatione alienæ iustitiæ iustificari. At hic error apertissimis oraculis Dei refutatur, Dauid apertè clamat. Domine ne intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens.

Et Paulus Rom: 1. Propter hoc ex operibus legis, non iustificabitur in conspectu tuo omnis caro.

Et

Et ad Gal: 3. Quotquot ex operibus legis sunt, sunt sub maledictione.

Item ad Gal: 2. Si iusticia est ex lege, Christus frustra mortuus est. Hoc Pauli dictum ualidum argumentum continet, contra eos qui distinguunt inter opera ceremonialia & moralia, & concedunt hominem per ceremonialia opera nequaquam iustificari, & contra ea tantum Paulum disputationem instituisse, cùm ad Romanos, tum ad Galatas, contendunt, & interim moralia opera in causis iustificationis numerant, imò illis solis iustificari homines docent. Nam si homines iustificarentur moralibus operibus, sequeretur idem absurdum, nimirū Christum frustra mortuum esse. Ideò Paulus dixit: Si iusticia esset ex lege, uel tota, uel ulla eius parte, Christus frustrà mortuus est. Præterea iusticia Christiana est obedientia solius Christi, sicuti Paulus apertissimè testatur ad Rom: 5. Sed Christi obedientia nequaquam est nostra operatio. Igitur iusticia qua iustificantur

coram

coram Deo, nullo pacto in noſtris operibus poſita eſt. Eſt igitur eorum dogma manifeſtè falſum, qui hominem operibus iuſtificari Philoſophicè contendunt, iuſtificatione uitæ. Verum ad huius iuſtificationis declarationem, operum requiri iuſticiam, hoc eſt, incoatam obedientiam requiri, cum Iacobo agnoſcimus.

Secunda forma erroris eorum, qui opera inter iuſtificationis cauſas ponunt, Phariſaica eſt, quam deſcribit Paulus ad Rom: 10. & ſimul confutat. Phariſæi enim fide & operibus ſimul conſtare dicunt iuſticiam, qua coram Deo iuſtificatur impius. Hæc forma admodum ſpecioſa & plauſibilis uidetur. Dicunt fidem iuſtitiæ initium eſſe, & opera eiuſdem complementum, quorum errorem confutat Paulus his rationibus, Rom: 10. Teſtificor enim illis, quod zelum Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam. Ignorantes enim Dei iuſticiam & propriã iuſticiam quærentes ſtabilire, iuſtitiæ Dei non ſubiecti fuerunt. Finis enim

legis

legis Christus in salutem omni credenti.

Hic Paulus reiectionis Iudæorum causas ponit, nempe quòd uoluerint & suam iustitiam, quæ est ex lege, & Dei iustitiam quæ est ex fide coniungere.

Deinde Rom: 11. Si gratia, non amplius ex operibus, alioquí gratia amplius non est gratia. Si autem ex operibus, nõ amplius ex gratia. Alioquí opus nõ amplius est. Hic Paulus Primum duas ponit propositiones immediatè contrarias. Si ex operibus est dilectio & salus, non est ex gratia. Si ex gratia, non ex operibus. Sentit igitur Paulus iustitiam, qua Deo accepti sumus, non conflatam esse ex fide & operibus tanquam partibus seu causis, cùm debitum & donum ita repugnent, ut neutrum de altero, nec ambo de tertio dici possint. Aut igitur fide sola seu gratia iustificamur & saluamur, aut operibus. Sed operibus non iustificari quemquam, Paulus in eadem Epistola, capitibus tertio, quarto & quinto apertissimè ostendit.

Deinde si iustitia Christiana constaret fide & operibus simul, inepta erat argumentatio Pauli Rom: 4. operanti merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. At credenti in eum qui iustificat impium, imputatur fides eius in iustitiam. Hîc Paulus duas iustitiæ formas ponit, quæ simul stare nõ possunt. Nam habent contrarias causas, fidei enim iustitia qua iustificatur credẽs, imputatur & gratis donatur. Sed operũ iustitia nequaquam est gratuita. Præterea si una pars fidei, altera pars operibus, in iustificatione hominis tribuenda esset, duo sequerentur absurda: Vnum, quòd promissio fieret incerta, quæ certa esse debet. Alterum, quòd Christi satisfactio non satisfecerit, nisi stabiliretur nostris operibus. Quare Augustini dictum amplectamur, qui dicit: Gratia est nullo modo, nisi gratuita omni modo.

Sophistica forma, quam tertio loco in primo genere posui admodum est tortuosa, nec se eodem modo habet: sed serpentis

pentis instar in multas spiras & catastrophas se torquet. Nã sophistę ut illudãt ueritatem Dei, uarias sine uerbo Dei, excogitant distinctiones, quibus ueritati tenebras offundere conantur. Quidam commenti sunt opera, quę uocârunt merita de congruo, digno & condigno: quidam adminicula iustitiæ in antecedentibus, coniunctis & consequentibus operibus statuerunt. Nonnulli his non contenti, supererogationis figmenta excogitarunt, atq; alij alia monstra pepererunt. Priusquam autem quid sibi uelit meritũ congrui, digni & condigni exponam, quasdam demonstrationes colligam, quę omnia merita humana in genere euertãt, ut sophistica ista figmenta sponte corruere uideantur.

Prima, Iustitiam consequimur per remissionem peccatorum. At hęc donũ Dei. Rom: 3. Igitur non est nostri meriti. Nam meritum & donum contrarias causas habent.

Secunda, Si iustitia esset ex meritis

operum, non excluſa eſſet gloriatio, at hæc excluſa eſt. Rom: 3. Igitur ex meritis non eſt iuſtitia. Propoſitio probatur, quia tantum gloriationis quilibet haberet, quantum meritorum.

Tertia, Quicunq; operatur, accipit mercedem non ex gratia, ſed ex debito. At qui fide iuſtificatur, accipit iuſtitiã ex gratia, non ex debito: Igitur non ex noſtris meritis pendet iuſtitia. Rom: 4.

Quarta, Quemadmodum per inobedientiam unius hominis, peccatores ſunt multi conſtituti: ſic per obedientiã unius multi conſtituuntur iuſti. Rom: 5. Quis igitur non uidet excludi meritum?

Quinta, Quod impoſsibile erat legi, eo quod per carnem infirmabatur, hoc præſtitit Deus, miſſo filio in ſimilitudine carnis peccati, & pro peccato, damnauit peccatum, ut in nobis iuſtificatio legis impleretur. Rom: 8. Igitur impletio legis non eſt in nobis, ſed quod Chriſto proprium eſt, nobis imputatur: quare penitus omnia excluduntur merita.

Sexta,

Sexta, Si per legem est iustitia, Christus frustrà est mortuus: Esset sanè per legem, si ex meritis esset. Quare cùm lex excluditur à iustitia, merita quoq; excludi necesse est.

Septima, Paulus ad Philip. 3. Ita ait de seipso: Verùm quæ mihi lucro erant, ea existimaui, propter Christum iacturam, quinetiam omnia existimo iacturā propter eminentiam cognitionis Christi Iesu Domini mei, propter quem omniū iacturam feci, & existimo reiectamenta esse, ut Christo lucrifaciam, & inueniar in ipso, non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed quæ est per fidem Christi.

Hinc duo colliguntur, non posse stare iustitiam legis, ut partem aut causam, cum iustitia fidei. Deinde longè aliā esse fidei, quàm legis iustitiam. Quare cùm ex meritis dicitur iustitia Christiana esse, mera est insania.

Hæ demonstrationes etsi satis omne meritum, quocunq; tandem nominetur nomine, destruunt; Tamen sophisticam

distinctionem suprà notatam, definitionibus illorum adhibitis, adiungam & refutabo. Vocant itaq; meritum congrui, in quo peccator dicitur gratiam mereri, dum ad gratiam se disponit. Siue, quo impius meretur in gratiam recipi, quando facit quod in se est, & hoc tribuunt illis operibus quæ reuerà non merentur salutem ex sua natura, nisi quantum ex bonitate Dei illis promittitur, rigore & acerbitate iuris remissis, & definiunt ea esse morales actiones, quæ à multis fiunt ante iustificationem. Hoc ergo meritum non renatis, sed inimicis Dei tribuunt. Quod etsi suprà in destructione meriti in genere refutatum est, in specie tamen hisce quatuor rationibus refellitur.

Prima. Ante regenerationem sumus filij iræ, & non percipimus ea, quæ sunt spiritus Dei, ad Ephe: 2. Et 1. ad Corint: 2. Tales quæso quid mereri nisi mortem possunt?

Secunda. Non conuersus uiuit secundum carnem, quia spiritu destituitur. Iam

sentus

sensus carnis inimicitia est, coram Deo. Quid ergo inimicitia merebitur nisi damnationem?

Tertia. Ante regenerationem sumus malæ arbores, quæ iuxta sententiã Christi, nõ possunt, nisi malos producere fructus, ubi ergo meritum congrui?

Quarta. Impossibile est placere Deo sine fide, & quicquid non est ex fide peccatũ est. Proinde cùm non regenitus fidẽ nõ habeat, atq; ideo Deo nõ placeat, qua lequeso congrui meritũ habere poterit?

Meritum digni iuxta sophistas, est in quo uir iustus pro alio orans, meretur exaudiri. Fateor ego sanè, uirum fide iustum, efficaciter pro alio orare posse, quia & mandatum & promissionem habet: sed ipsum sua dignitate quicquam mereri pernego. Non enim in suo nomine quicquam petit iustus, sed in nomine Christi precatur & exauditur, iuxta promissionem uerbum: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, hoc dabit uobis.

Meritũ ex condigno est, cuius causa

omnino debetur merces, seu est meritum pro quo exigitur præmium ex debito. Hoc asscribunt operibus quæ à pijs fiũt post regenerationem. Porro hoc debitũ duplex faciunt, pacti & rigoris iustitiæ. Verùm quicquid ex pacto pijs promittitur, mercedis quidem nomine promittitur, quæ est compensatio obedientiæ seu crucis, sed meritum nusquam in scriptura inuenitur. Huc accedit, quòd ad meritum cõdigni requiratur proportio æqualitatis meriti ad præmium. Lucæ: 17. Sic ait Dominus: Cùm omnia feceritis, quæcunq; præcepta sunt uobis, dicite inutiles serui sumus.

Isai: 64. Quasi pannus menstruatæ, uniuersæ iustitiæ uestræ.

Et Rom: 8. Non sunt condignæ passiones huius temporis, ad futuram gloriam quæ reuelabitur erga nos.

Iam eorum quoq; errores facilè diluuntur, qui opera antecedentia fidem, coniuncta cum fide, & eandẽ consequentia in causis uel partibus iustificationis col-

collocant. Si antecedentia fidem opera requiruntur ad iuſtificationem, aut bona aut mala requiruntur. Mala autem nequaquam requiri, in confeſſo eſt. Nulla autem bona ſunt, ſi Chriſto credimus, qui ait: Non poteſt mala arbor bonos fructus edere. Et quicquid ex carne natum eſt, caro eſt. Neq; coniuncta requiruntur, ut partes aut cauſæ ad iuſtificationem. Quia Paulus de reiectis Iudæis ait: Volentes ſtabilire propriam iuſtitiam, iuſtitiæ Dei non fuerunt ſubiecti. Huc facit integra diſputatio Pauli in Epiſtola ad Rō: Itē ad Gal: 2. 3. 4. capitibus. Preterea conſequentia opera nō requiri ad iuſtificationē, ex eo patet, quia tū effectus eſſet ſua cauſa prior, aut pars ſuo toto poſterior, quo nihil abſurdius fingi poteſt. Peræque abſurdū eſt, quod dicunt, bona opera eſſe formā iuſtitiæ, quia fides per charitatē agit, & fides ſine operibus Iacobo mortua dicitur. Quaſi uerò uel corpus animæ forma propterea dici debeat, quia anima per corpus agit, uel

fides posſit ſine operibus eſſe, quam cũ Iacobus mortuam ſine operibus facit: ex eorum hypotheſi loquitur, qui noticiam hiſtoriæ nudam pro uiua & efficaci fide iactârunt, cùm tamen eius uis non conſpiciebatur in externis moribus. Horũ errorem confutat Iacobus.

Porrò illi, qui ſupererogationis opera iactant, hac refutantur demonſtratione. Quęcunq; opera ſub lege Dei cõprehenduntur, falſò uocantur ſupererogationis: nam omnia ſunt debita, iuxta illud quod ſcriptum eſt: Cùm omnia feceritis, quæ præcepta ſunt, dicite, inutiles ſerui ſumus, quod debuimus facere fecimus. Atqui nullum opus bonum eſt, nec Deo acceptũ, quod lege Dei comprehenſum non ſit. Sunt enim duo ordines bonorum operum: Aut enim ad Dei cultum, aut ad charitatem proximi referuntur. Nullum autem ad Dei cultum pertinet, quod nõ continetur ſub hoc capite: Dilige Dominum Deum tuum. Et nullum etiam officium eſt charitatis, quod non requiratur

ratur illo præcepto: Dilige proximum tuum sicut teipsum.

Cùm ergo isti opera supererogationis uocant opus consilij, uel quod fit ultra id quod quis debet: satis ostendunt hac sua definitione, quod nec sub cultu Dei, nec sub charitate proximi continetur illud opus, quod illi supererogant. Quòd autem Samaritani dictum ad hospitem huc torqueant, uiolenter faciunt. Non enim ualet allegoria, ubi facem apertæ scripturæ non sequatur.

Quòd autem Paulus abstinuerit à stipendio, quod licuisset, iuxta ordinariam pastorum uocationem accipere: in eo nihil facit Paulus, quod non debuerit, debuit autem, quantum in se fuit cauere offendiculum, quod & uera Dei dilectio & charitas proximi requirit. Quare non est, quòd facto Pauli suum stabiliri errorem existiment.

Iam ad sententiam Osiandri ueniamus, qui iustitiam Christianam dicit esse essentialem Dei iustitiam in nobis, cùm tamen

tamen apertissimis Pauli uerbis constet, eam iusticiam, qua iusti sumus coram Deo, non esse aliud quàm obedientiam Christi. Sic enim ait Paulus Rom: 5. Per obedientiam unius, iusti constituentur multi. Obedientiam intelligit Paulus, ut seipsum interpretatur Phil: 2. qua humiliauit seipsum, & factus est obediens usq; ad mortem crucis. Hanc Christi iusticiam seu obedientiam, dicit Paulus imputari credentibus. Ergo non est illis uel inhærens substantia, uel qualitas, qua formaliter homo sit iustus. Quare firmiter tenenda est hæc assseueratio, quòd iusticia Christiana sit obedientia filij imputata credenti.

Verùm interea & hoc tenendum est, quòd scriptura TRIPLICEM IVSTICIAM nobis commendet, quarum Prima Fidei est, qua consistimus coram Deo & hæc est perfecta, ut Christi obedientia est perfecta. Nec minuitur aut augetur decremento aut incremento fidei. Nam hanc plenam habuit & Magdalena & Petrus, tametsi

tametsi Petri fides fuit multo illustrior.

Alia est iustitia, quæ dicitur incoatio obedientiæ, seu nouitas uitæ, quam uulgo bonæ conscientiæ iustitiam appellare solemus. Hæc non opponitur iræ Dei, quia non est perfecta legis obedientia, sed solummodò sanctificationis in credentibus initium est.

Alia est iustitia, quam non consequimur in hac mortali uita, sed eam expectamus de qua Paulus ad Gal: 5. Nos spiritu ex fide spem iustitiæ expectamus: Et Ioh: in Primæ tertio: Charissimi filij Dei sumus, & nondũ apparuit, quid erimus. Scimus quoniã quãdo apparuerit, similes ei erimus, quoniã uidebimus eum sicuti est, & omnis qui habet hanc spẽ, in eo purificat se, sicuti ipse sanctus est. Hęc proinde iustitia erit conformitas nostri cum Deo, habitatio Dei in nobis, plena fruitio Dei, absoluta dilectio.

Quamquam autem fatendum est, corda credentium esse templa Spiritus Sancti, Et Christus dicit Ioh: 14: Si quis dili-

diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansionem apud ip'um faciemus: Tamen ex eo non sequitur, hanc habitationem Dei in nobis, esse iustitiã qua constitimus coram Deo, sed est præsentia diuina in nobis, per quam magis magisq; renouamur, & consolationem sentimus, ac uitam æternam incoamus. Nam si hìc homines iustificarentur iustitia essentiali, non esset discrimen inter iustitiam, qua in hac uita sumus iusti, & eam, qua conformes erimus Deo, in omni æternitate. Sed Paulus manifestè discernit inter hanc & illam, nam fidei iustitiam dicit, nos nunc in hac uita habere, sed expectare aliam iustitiam, qua similes Deo erimus, quæ similitudo inde emanabit, quod uidebimus eum, sicuti est.

Hæc sint dicta de ijs, qui bonis operibus in causis iustificationis locum tribuunt. Nunc ad SECVNDVM errorum genus transeamus. Sũt enim, qui tametsi in causis iustificationis bona opera non

numerant, ea tamen necessaria ad salutẽ & uitam æternam prædicent. Quanquã autem opera omninó necessaria esse in conuersis, ex dictis manifestum est: tamen diligenter cauendum est, ne ita necessitas doceatur, ut uideatur necessitas salutis consequendæ in operibus statui. Nam dicere, opera necessaria ad salutem & uitam æternam, modò proprietas sermonis seruetur, est dicere, opera causas & merita salutis esse. Verùm huius propositionis autor, id nequaquam uoluisse uidetur, sed hoc potius: Vidit frigere studium bene operandi inter homines, quẽadmodũ & Iacobus suo tempore: at cùm huic malo mederi uellet, opera omnino ad salutẽ & uitam æternam necessaria defendere cœpit: cùm tamen ista hyperbole nihil aliud uoluerit autor eius propositionis pius & doctus, quàm opera necessariò cohærere fidei, sine qua nemo saluatur & consequitur uitã ęternã. Quę sanè sententia uerissima est, fieri enim nõ potest, ut fides destituatur bene agendi studio.

Etsi

Etsi autem hanc sententiam & interpretationem libenter cū illo recipimus, tamen istam loquendi rationem omnino reijcimus, nec uolumus cum illo dicere, opera esse necessaria ad salutem & uitam æternam.

Cur autem ab ista propositione abstinendum esse iudicamus, grauissimas habemus causas, quarum Prima est, quòd illa propositio propriè simè accepta, pugnet cum fundamentis ac primis axiomatis fidei nostræ. Quare ut falsa, ita omnino absurda & fugienda est. Nam illud propriè necessarium ad aliquid dicitur, quod est propria & necessaria causa alicuius ut sit. Iam autem ex Paulo constat, quòd opera hominum nec sint causæ salutis, nec uitæ æternæ. Paulus enim Ephe: 2. de salute ita ait: Gratia saluati estis per fidem (& hoc non ex uobis, Dei donum est) non ex operibus, ne quis glorietur. Nec dubium est, quin Paulus totius nomine omnes eius partes complectatur. Cùm igitur salutem nominat,

non

non solum iustificationem, sed etiam glorificationem intelligit, quæ duæ salutis partes sunt.

De uita æterna ita ait Paulus, Rom. 6. Donum Dei est uita æterna in Christo Iesu Domino nostro.

Secunda causa est, Improprietas. Nã cùm ex priori causa constet, propriè nõ posse accipi illam propositionem, fugienda est tanquam impropria.

Etsi autem multæ sunt locutiones in scriptura & in sanctis patribus figuratæ, tamen omnino impropriæ dicendæ non sunt. Non enim impropriæ sunt, quo ad uerum intellectum attinet. Nam sunt uelut picturæ, orationem aliquo tropo aut schemate ornantes. At hæc oratio, opera sunt necessaria ad salutem & uitam æternam, cùm nullo tropo excusari possit, quin secundum uerum intellectum impropria sit, merito fugienda est.

Tertia causa est, Periculum in rudibus. Nam hæc propositio à rudibus audita, tanquam breuis gnoma retinetur, ac

ita in desperationem hominẽ legis comminationibus tentatũ facilè adigit. Quare ne quis periclitetur, hac noua loquendi forma deceptus, periculi ratio merito habenda est.

Quarta causa est, quòd hæc locutio propriè accepta consolationem Euangelij tollit, & non parum obscurat beneficium mediatoris, cuius solius merito & uirtute saluamur & uitam consequimur æternam.

Propter has causas, profuerit abstinere ista loquendi forma, falsa, impropria periculosa & quodammodo in sanguinẽ mediatoris contumelios a, si modò orationis proprietas seruetur. Cùm igitur propter enumeratas causas, autor huius propositionis ab ea iam abstineat à fratribus admonitus, meritò laudandus est, ut qui animaduerso periculo, pluris salutem Ecclesiæ fecerit, quàm ut eam aliqua impropria & incommoda loquendi ratione offenderet.

TERTIVS ERROR sequitur, qui eorum

rum est, qui nimiũ extenuant benè operandi necessitatem, cùm ex scriptura necessitas bene operandi, multiplex colligi possit, ut est conuersionis & regenerationis, deinde necessitas mandati Dei, cultus debiti Deo, fidei retinendæ, & uitationis pœnarum.

Necessitas conuersionis inde comprobatur, quòd Dominus apud Prophetam dicat: Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Hîc coniungit Dominus conuersionem & uitam, qua uiuificatur conuersus ad Deum per ueram pœnitentiam: Nam cùm fit conuersio, simul uiuificatur homo fide per Spiritum Sanctum, quæ uiuificatio nunquã à conuersione separari potest. Nec hæc uiuificatio aliud est, quàm incoatio nouæ uitæ (cuius uitę actiones sunt opera legi Dei cõgruẽtia) noua lux, sapientia, iustitia, & renouatio imaginis Dei in nobis. Quis nõ uidet, hãc conuersionis & regenerationis necessitatẽ maximã esse, ut merito culpãdi sint, q nimis le-

uiter de bene operandi ſtudio docent & concionantur.

Deinde cogitetur neceſsitas mandati, quæ eſt, quod Deus obedientiam erga ſuam legem ſerio & ſeuere mandat, In præceptis, inquit, meis ambulate. Et Paulus: Hæc eſt uoluntas Dei, ſanctificatio ueſtra.

Huc accedit neceſsitas cultus debiti Deo. Rom: 8. debitores ſumus Dei, non carnis. Nō enim noſtri iuris ſumus, ſed eius qui redemit nos ſuo ſanguine.

Quarto loco cogitetur neceſsitas fidei retinendæ. Si quis, inquit Paulus, ſuorum & maximè domeſticorum curam non habet, fidem abnegat, & eſt infideli deterior. Et rurſus: Milita militiam honeſtam, habens fidem & bonam conſcientiam: quarum neutra retineri poteſt, dum quis ſciens & uolens in peccatum ruit.

Poſtrema neceſsitas eſt, ut uitentur pœnæ, iuxta illud Dauidis: propter iniquitatem corripis filios hominum. Huic multiplici neceſsitati accedunt duæ aliæ grauiſ

grauissimæ causæ, nempe dignitas & præmium. Dignitas in hoc sita est, quòd homo conuersus, factus sit noua creatura nempe Filius Dei. Iuxta illud: Dedit dignitatem hanc, ut filij Dei fierent, quotquot credunt in illum. Quanta, quæso, dignitas, quòd credentes sint templũ Spiritus Sancti uiuentis, quòd Christus in ipsis habitet per fidẽ, quòd pater, filius & Spiritus Sanctus ad illos ueniant, & in eis mansionem sibi deligant?

Contrà perpendendum est, quantum sit scelus, filios Dei imaginem hostis referre, quantum periculum sit templũ Dei Satanæ fœtore conspurcare ac prophanare, quàm denique immane sit, Deum è suo hospitio exturbare. Quare filios Dei decet imitari cœlestem patrem, qui dicit: Sancti estote, quia ego sanctus sum. Hinc Paulus dicit nos uocatos ad Sanctificationem, non ad immunditiem.

Altera causa est præmium, hoc est, compensatio patientiæ & obedientiæ credentium. Quod sanè præmium non da-

tur, propter operis in se qualitatem, sed propter paternam clementissimi patris promissionem, eamq; gratuitam.

Deinde ad acre benè operandi studium inuitabunt nos promissiones diuinæ, quæ bonis operibus passim in scripturis adijciuntur. Etsi enim bona opera piorum sunt & debita seruorum officia, & multis modis, omissione & commissione contaminata: tamen Deum ijs promissiones, ob multas adiecisse causas sciendũ est, quò magis excitemur ad benè operandi studium.

Causæ autem precipuæ cur Deus bonis operibus paternas suas promissiones adiecerit, quinq; numerari possunt: quarum PRIMA est, ut sint testimonia prouidentiæ Dei. Vult enim Deus nos scire, & bona corporalia res esse ab ipso creatas, & non casu spargi, sed ab ipso Ecclesię dari & conseruari. Iuxta dictum: Ipse est uia tua, & longitudo dierum tuorum, in diebus famis saturabuntur. Diuites esurierunt, timenti autem

Do-

Dominum non deerit ullum bonum. Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes.

Secvnda, ut sint testimonia, quòd Deus uelit etiam in hac uita seruare Ecclesiam. Quare Paulus 1. Timoth: 4. inquit, Pietas habet promissiones præsentis uitæ & futuræ. Quia enim uult Deus immensa sua bonitate colligere Ecclesiã, propter filium mediatorem seruat hunc naturæ ordinem, fœcundat terrã, ut alat Ecclesiã in hac uita. Et cùm propter Ecclesiam cæteros pascat, nos qui ciues Ecclesiæ sumus, precipuè gratos esse decet.

Tertia, quia uult Deus, necessitatem corporalem esse commonefactionẽ de fide, inuocatione, spe, gratiarum actione. Ideò promissiones ædidit, & quidẽ uult hæc ipsa bona fide peti & expectari, & in hac petitione & expectatione, fidem, spem, patientiam & cæteras uirtutes crescere.

Qvarta, ut sint commonefactiones de promissione gratię. Quia fidẽ quę

agnoscit filium & accipit reconciliationem, oportet semper prælucere in petitione corporalium rerum, & quidem propter filium cæteræ promissiones editæ & ratæ sunt. Hæc omnia comprehenduntur in dicto: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis.

QVINTA, quia Deus uult nos utrunq; scire, & Ecclesiam cruci subiectã esse, & eandem inter ipsa pericula mirabiliter seruari in hac uita, contra furores diabolorum & impiorum hominum, qui perpetuò se Ecclesiæ Christi, quæ admodum exigua est in hac uita, se opponunt, quam Deus nihilominus mirabiliter seruat, ut uniuersa admiranda Ecclesiæ conseruatio, & omnes miraculosæ liberationes sint testimonia præsentiæ Dei in Ecclesia, ut dicitur Numer: 14: Vt sciant Ægyptij, quòd tu Domine sis in hoc populo.

Iosuæ: 3. Scietis quòd Dominus Deus in medio uestri sit.

Reg: 17. Vt sciat omnis terra, quòd sit Deus in Israel. Isa-

Isaię: 37. Ecce nunc Domine Deus salua nos de manu Senacherib, ut cognoscant omnia regna terræ, quod tu solus sis Dominus.

Atq; hæc dicta sint aduersus errorem eorum, qui nimium extenuant benè operandi studium, & importunis hyperbolis, in multis augent securitatem carnis, quibus opponamus necessitatem benè operandi, causas & promissiones, quæ sine grandi sacrilegio contemni non possunt. Iam ad QVARTVM ERROREM accedamus, qui est eorum qui normam bonorum operum, legem Dei siue decalogum reiciunt, asserentes ipsum ad renatos minimè pertinere, quorum error apertissimis scripturę testimonijs refellitur.

Primum itaq; cùm decalogus nihil aliud sit, quàm certa, immota & expressa Dei uoluntas, perpetuaq; iustitiæ norma, qua clarè & perspicuè comprehenditur & promulgatur, quid iustum & iniustum sit, & quid Dei cultores per-

petuò agere aut omittere debeãt: magnus furor est, hãc iustitiæ diuinæ normã abijcere. Tametsi autem per Mosen, certo tempore decalogus est promulgatus: Tamen manifestum est legem ipsam ab ipsa mundi origine patefactam fuisse. Nã & ipsi patriarchæ, qui ante Mosen uixerunt, uerum Deũ coluerunt Idololatriam damnantes, parentes honorandos esse docuerunt, prohibuerunt cædes, libidines, furta, & prauas cupiditates, quæ omnia decalogi præceptis, tanq; aptissima epitome continentur. Nec alio modo uult Deus coli à populo noui Testamẽti, quàm olim in ueteri colebatur, perpetuò enim dilectionem erga se requirit, uultq; ut mutua officia ex fide inter se homines colant.

Cùm igitur decalogus sit perpetua uitæ regula, qui eum abijciunt, Deum ipsum legis autorem abijciũt. Quis enim non uidet, cùm obedientiam æternam esse deceat, legem obedientiæ regulam perpetuam, quoq; esse oportere?

Dein-

Deinde cùm uita Christiana esse non possit, sine perpetua quadam pœnitentia, qua & dolemus ob admissa à nobis peccata, & desiderio ardenti capimur nostrã totam uitam ad uoluntatis Dei regulam conformare: quis non uidet legis doctrinam omnino in Ecclesia Dei retinendam esse. Quæ enim pœnitentia esse potest, sine peccati agnitione? Vnde quæso agnoscitur peccatum? An non Paulus apertè clamat, per legẽ est agnitio peccati? Concupiscentiam peccatum esse nõ scirem, nisi lex diceret, non concupisces. Agnitionem ergo peccati nolunt, qui legem tollunt: imò uolunt homines securè uiuere sine pœnitentia.

Huc accedit autoritas Christi qui & legem ipse interpretatus est, & suos Discipulos ad legem, tanquam ad uitæ piè transigendæ normam, misit. Paulus similiter legem, pædagogum ad Christum docet, & iustificatos fide ad legem uitæ regulã mittit, asserens finẽ legis charitatem esse, ex corde puro, conscientia bona,

&

& fide carente hypocrisi. Breuiter, Paulus ex lege agnitionem peccati petendam monet, & uitæ piæ regulam in eadem statuit. Præterea cùm Dominus dicit: Spiritus Sanctus arguet mundum de peccato, significat uocem legis debere in Ecclesia sonare, unde homines in peccati & meritæ damnationis sensum ueniunt, ut posteà fide iustificati, cultum Deo iuxta legis normam, præstare incipiant.

Verùm cùm isti legis hostes obijciunt, legem abolitam & abrogatam esse, idq; non secundum unam aliquam partẽ, sed secundum totam legem intelligendũ esse. Respondemus, id non simpliciter & omnino uerum esse, In lege enim morali, (de qua hîc agimus, nam cæremonialem omnino, & iudicialem, quatenus non est naturalis, abolitã esse fatemur) duo consideranda sunt: Primum ipsa doctrina insc. Deinde rigor & appendix legis.

Quantum autem ad doctrinam attinet. Decalogus est perpetua uoluntatis Dei regula, quæ nunquam abrogabitur.

Sem-

Semper enim Deus requirit dilectionē erga se & erga homines, in quibus duobus capitibus obedientia legis posita est.

Verùm quantū ad rigorem & appendicē legis attinet, credentibus & iustificatis fide, lex abrogata est. Nulla est dānatio ijs qui sunt in Christo Iesu. Nō enī sub lege sunt, hoc est, sub maledictione, sed sub gratia, hoc est, diuina misericordia propter Filium, condonatum est ipsis peccatum.

QVINTVM ERROREM eorum esse diximus, qui in locum operū, quæ Deus mandauit, humana somnia, & humanas traditiones Ecclesiæ Dei obtrudunt. Quemadmodum olim Pharisæi, & hodie Papistarū factio impudenter facit, contra manifestā uocē Dei, Ieremię: 33. Speculatorē dedi te domui, Israel audiens ergo ex ore meo sermonē annunciabis ijs ex me.

Ezech: 30. In præceptis meis ambulate, & iudicia custodite, & facite ea.

Isaiæ: 48. Ego Dominus Deus tuus docens te utilia, ambulare faciēs te in uia qua ambulas. Hæc

Hæc teſtimonia manifeſtè conuincunt, legem Dei præſcribere ea opera, quæ Deus à nobis requirit. Verùm ſi quis obijciat Eccleſiæ autoritatem, ac dicat ea opera quæ Eccleſia præſcribit, hoc eſt, traditiones Papæ & Epiſcoporum nequaquam contemni debere. Reſpondeo, diſcernendum eſſe inter opera cultus, & diſciplinæ ſeu regiminis externi Eccleſiæ. Quantum autem ad opera cultus attinet, non ſolum extat mandatum Dei, quo præcipitur uera colendi Deum ratio: uerumetiam prohibitio ne quis ἐθελοθρησκείας ſectetur. Manifeſtè enim Col: 2. ἐθελοθρησκία damnatur. Et Chriſtus poſt Iſaiam dicit, fruſtra me colunt docentes doctrinas hominũ. Et Ezech: cap: 20. In præceptis Patrum ueſtrorum nolite incedere, nec iudicia eorum cuſtodiatis, nec idolis eorum polluamini, ego Dominus Deus ueſter. Contra has manifeſtas prohibitiones, regnũ Antichriſti ſuas miſſas, roſaria, inuocationẽ ſãctorũ, delectũ ciborum, impurũ cœlibatũ, ſtata

ieiu-

ieiunia, monachiſmũ &c. mundo obtru-
dit, in contumeliã unici legislatoris Dei.

At quantum ad diſciplinam & exter-
næ politiæ Eccleſiæ conſeruationem at-
tinet, ſciendum eſt piorum antiſtitum eſ-
ſe, ut & diſciplinam conſeruare utilibus
conſtitutionibus ſtudeant, & ceremonias
pias ordinent, ut omnia in Eccleſia ordi-
ne & decenter iuxta dictum Pauli, fiant.
Verùm hîc cauendum ne labefactetur li-
bertas Chriſtiana, qua liberi ſumus quo
ad conſcientiam attinet à traditionibus
humanis, modò contemtus & ſcandalum
abſit. Deinde obſeruandum quòd tales
eſſe debent traditiones, ut reuerà faciant
ad conſeruandam diſciplinam ſanctam &
Eccleſiaſticam politiam ſynceram, quæ
ſine certis legibus in hac plurimorũ ho-
minum petulantia regi nequit, & optan-
dum eſſet, ut aliquis diſciplinæ rigor Ec-
cleſiæ reſtitueretur, quo ferocia & contu-
nacia hominũ nonnihil coherceri poſſet.

Hæc de erroribus eorum, qui de bo-
nis operibus docent, admonenda duxi,
ſimul

simul ostendens claris scripturæ pronũciatis, quo in loco bona opera habenda sint, quæ homines renati, nouæ uitæ & fidei necessitate, facere debeant, modò in Dei familia uere censeri uelint. Non quiũquis, inquit Dominus, dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui fecerit uoluntatem patris mei qui est in cœlis. Itaq; quisquis inter Discipulos Christi numerari cupit, danda illi est opera, ut ex fide sincerè & ex animo, ad meditandam uitæ nouitatem se addicat. Nam is demum uoluntatem patris facit, qui in Christum credit, Ioh: 6. Et sanctitatem eius imitatur, hoc est, ex uera fide uitam & mores suos ad legis normam, quantum quidem id fieri potest, formare studet. Id quod Paulo est, fructus iustitiæ ædere. Bona etenim arbor, iuxta Christi sententiam, non nisi bonos fructus producere potest.

Hinc Paulus ad Timotheum: Milita honestam militiam, retinens fidem & bonam

bonam conſcientiam, quam poſtquam quidam repulerunt, circa fidem fecerunt naufragium. Hæc Pauli uerba teſtantur itaſtata conſcientia fidem amitti, poſtquam enim fide Chriſto duci nomina dedimus, opus eſt bona conſcientia, qua nulla res alia iucundior, nulla precioſior eſſe poteſt.

Retinetur autem BONA CONSCIENTIA hoc pacto: primum ſi firmiter ſtatuis peccatum remiſſum eſſe fiducia mediatoris. Deinde ſi bonum habes propoſitum, quo peccandi uoluntas abiicitur, ubi enim hoc propoſitum nō fuerit, ibi nec ſpiritus Chriſti, nec fides eſſe poteſt. Tertiò, ſi incoatio nouæ obedientiæ accedit, ardens Dei inuocatio, feruens deſiderium approbandi Deo omnem noſtram uitam, & aliæ uirtutes quæ fidei fructus ſunt. Poſtremò, ſi ſuperioribus additur diligens & ſancta in uocatione noſtra cura, qua officium noſtrum in gloriam Dei, in Eccleſiæ, politiarum & œconomiarum ædificationem & conſer-

uationem præstare conamur. Quicunq; igitur ueram suæ salutis curam habet, iuxta hanc regulam Pauli uitam formet: retineat fidem & bonam conscientiam fidissimos thesauri Euangelij & salutis per Christum partæ custodes.

HVC QVASDAM DE OBEDIENTIA ERGA DEVM SENTENTIAS adiecimus, ne hæc postrema folia uacua essent.

PRouerb: 5. Mens iusti meditabitur obedientiam.

1. Ioh: 3. Qui facit iustitiam, iustus est.

1. Ioh: 4. Deus est charitas, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo.

Lucæ: 6. Quid autẽ uocatis me Domine Domine, & non facitis quæ dico.

Hiere: 7. Bonas facite uias uestras, & studia uestra, & habitabo uobiscum in loco isto.

Matth

Matth: 5. Sic luceat lux uestra coram ohminibus, ut uideãt opera uestra bona.

Ioh: 8. Filij Abrahæ faciunt opera Abrahæ.

Ephe: 1. Quemadmodum elegit nos per ſpiritum, antequam iacerentur fundamenta mundi, ut eſſemus ſancti & ireprehenſibiles coram illo.

Tit: 2. Apparuit gratia Dei ſalutaris omnibus hominibus, erudiens nos ut abnegantes impietatem, & humanas concupiſcentias, ſobriè & iuſtè & piè uiuamus in præſenti ſeculo, expectantes beatam ſpem, & apparitionem gloriæ magni Dei, & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti, qui dedit ſeipſum pro nobis, ut liberaret nos ab omni iniquitate, & purgaret ſibi populum peculiarem, ſectatorem bonorum operum.

1. Corinth: 3. Vnuſquiſq; propriam mercedem accipiet, ſecundum ſuum laborem.

Apocal: 14. Beati mortui, qui in Domino moriuntur, opera enim illorum ſequuntur illos.

Gal: 6. Dum tempus habemus, operemur bonum erga omnes.

1. Pet. 1. Quapropter fratres magis satagite, ut per bona opera certam uestrã uocationem faciatis.

Matth: 7. Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit uoluntatem patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum.

1. Corinth: 15. Itaq; fratres mei dilecti stabiles estote, & immobiles abundantes in omni opere Domini semper, scientes, quòd labor uester non est inanis in Domino.

Gal. 6. Bonum autem facientes non deficiamus. Tempore enim suo metemus non deficientes.

2. Thess: 3. Vos autem fratres nolite deficere benefacientes.

Rom: 6. Quid igitur, peccabimus quia non sumus sub lege? Absit. An nescitis, quòd cui accommodatis uos ipsos seruos ad obediendum, eius serui estis

cui

cui obeditis, siue peccati ad mortem siue obedientiæ ad iustitiam.

Rom: 8. Nulla igitur nunc est condemnatio his qui insiti sunt Christo Iesu qui non iuxta carnem uersantur, sed iuxta spiritum.

Item: Debitores sumus non carni ut secundum carnem uiuamus: nam si secundum carnem uixeritis, moriemini. Quod si spiritu facta corporis mortificetis, uiuetis. Etenim quicunq; spiritu Dei ducuntur, hi sunt filij Dei.

Lucæ: 12. Seruus sciens uoluntatem Domini & non faciens, uapulabit plagis multis.

Matth: 12. Aut facite arborem bonã & fructum eius bonum, aut facite arborẽ uitiosam, & fructum eius malum.

Lucæ 9. Nemo admittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno cœlorum.

Matth. 25. Excludũtur uirgines fatuę non habentes oleum in lampadibus suis.

Hæc testimonia scripturæ, qualia

penè infinita reperiuntur in Propheticis & Apostolicis scriptis, quàm sint necessaria bona opera ostendunt, quæ ad quatuor capita referre soleo, quæ sunt pietas erga Deum, sanctificatio uitæ, charitas proximi, & sancta cura in eo uitæ genere ad quod uocati sumus.

HAFNIÆ
EXCVDEBAT IOHANNES
XYLANDER
Impensis Baltazari Kaus,
mense Martio,
Anno
1 5 6 3.